This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LIBRARY OF THE
Leland Stanford Junior University

8751
ER937

ER931

Mit hoher Genehmigung

Eines Hochw. evangel.-luther. Consistoriums

zeigt die

Oeffentlichen Prüfungen

und die

Progressions-Feierlichkeit

des

GYMNASIUMS

ehrerbietigst und ergebenst an

Dr. Tycho Mommsen,

Director und Professor.

TRES COMMENTATIONES:

I. de foliis quibusdam m. scriptis, quae in bibliotheca gymnasii Francofurtensis servantur;
II. quaestio critica de locis quibusdam Ciceronianis (v. indicem infra pag. 39. 40);
III. quaestio grammatica: utrum verborum deponentium participia perfecti temporis in ablatt. absolutis sint vitanda an admittenda.

Von Prof. Dr. H. Rumpf.

Schulnachrichten. *Vom Director.*

Frankfurt am Main.

Druck von Mahlau & Waldschmidt.

1868.

LELAND STANFORD JUNIOR
LIBRARY
UNIVERSITY.

A. 16866.

Cum his paucis mensibus Tycho Mommsen, clarissimus huius gymnasii rector, a me peteret, ut scholasticis sollennibus verno tempore instituendis nonnulla praefarer et post duos de Graecis scriptoribus libellos ab ipso et Steitzio editos vicissitudinis causa e Latinis literis, si videretur, commentanda quaedam sumerem, non invitum me hoc negotium recepturum esse profitebar. Ita enim fore sperabam, ut et cum civibus meis et si qui foris animos ad nostras res advertissent, idonea occasione oblata communicarem novum quiddam, quod scire eos haud pigeret. Ne tamen magno hiatu *mea* me venditare temereque iactare putes, — disputabo in his pagellis de foliis quibusdam librorum manu scriptorum, quae in gymnasii bibliotheca inveni. Indicem igitur membranarum illarum, quarum in tabulis bibliothecae, cuius cura ad me delegata est, nulla fit mentio, hic proponam; deinde virtutes, vitia, aetatem singularum, quoad eius fieri poterit, perpendam. His rebus peractis, ut ad libellum, cuius praescriptioni nomen meum sit appositum, aliquid certe de meo conferam, pauca, quae ad criticam et grammaticam linguae Latinae artem attineant, addere conabor. Quam extremam disputationis partem brevi tempore conscriptam, ut oratores, quae in epilogo tractant, iudicum voluntati commendo, ita tamen, ut errati veniam, non liberationem culpae velim mihi concessam. —

Altero abhinc anno inter mediam turbam civilem omniumque rerum confusionem, dum librorum gymnasii inscriptiones in scidarum indicem, quem dicunt, refero, in armarii angulo quodam capsulam vidi formae quadratae eiusque generis, quo ad chartas geographicas servandas uti solent. Quam cum perlustrarem, inveni duo et viginti fasciculos foliorum manu scriptorum iamiam explicandos. Hoc unum praepono, quod pro certo affirmaverim, folia illa scholae nostrae data esse dono a Georgio Kloss, medico, qui fuit olim in hac urbe, peritissimo, homine literarum amantissimo, veterum librorum investigatore sollertissimo, scriptore clarissimo. Nam nomen eius margini interiori capsulae appositum est, neque desunt homines, olim eius aequales, nunc superstites, qui pauca verba hic illic foliorum tegumentis appicta ipsius manu scripta esse testentur. In enumerandis singulis codicibus eundem ordinem servavi, e quo collocatos inveneram; in aetate definienda numeros illos, quibus auctor muneris hic illic tegumenta notaverat, non equidem praetermisi unquam, sed alios saepe aut addidi aut primus posui. Qua in re ne teme-

ritatis accusarer, consului Fridericum Schaum, collegam olim in gymnasio Gissensi coniunctissimum, qui nunc bibliothecarii Academici munere fungitur. Is quod saeculum membranae cuique attribuerit, nominis compendio addito (Sch.) una cum mea ipsius sententia (R.) adscribam. Uterque tamen nostrum sentit, paucorum fragmentorum aetatem ex sola librarii manu divinari difficillime, pro certo confirmari omnino non posse. Formam singulorum foliorum ita significabo, ut centesimarum partium (metri Gallici) rationem ineam.

Ciceronis Cato et Laelius.

I. Primum omnium locum tenent fragmenta codicis Ciceroniani, cuius integra sunt folia quinque, unum mutilatum, pulcherrimae membranae, nitidissimae scripturae, longa duodeviginti c. p., lata tredecim, saec. X — XI K., saec. XI exeuntis Sch. et R. Versus stilo ducti, viceni singuli in pagina quaque, ad marginem non pertinent praeter binos primos et extremos (cf. Mannert, Miscell. de rebus diplomaticis, Norimberg. 1795 p. 4 sqq.); compendium inversae literae c pro syllaba *con* nusquam apparet (cf. Mannert l. l. p. 19 et 39); recentiore literae 'r' forma, quae a Gallis ad Germanos propagata esse videtur, librarius nunquam utitur (ibid. p. 19). Diphthongus ae aut utraque vocali, ut in praeclarum, aetate, Laelius, Scaevola, aut ę aut sola litera e scripta est (ibid. p. 22); oe invenitur in oeconomicus, coetum, coeteris, coeteros; semel prima m. scripsit ceterisque, altera correxit cęterisque, cf. Wattenb. Symb. ad palaeogr. lat. Heidelberg. 1866. p. 9; compendia scripturae neque permulta sunt neque difficilia lectu (Mannert l. l. p. 36. 37); vocalis i vulgo nota vacat; interdum puncto supra scripto, raro linea imposita notata est (l. l. p. 16 et 17); vocabula in extremo versu intermissa raro linea transversa indicantur (l. l. p. 17, adde tamen Wattenb. l. l. p. 36). Omitto enim quod et literae i nota et interpungendi signum saepissime nigriore colore a 2da manu sunt appicta. Quodsi quis praecepta Mannerti locis duobus proximis allata iis, quae e superioribus colligi possint, refragari contendat et ob id ipsum codicem saec. XIV^{mo} potius quam XI^{mo} scriptum esse iudicet, signa non nego illa quidem (cf. Wattenbach l. l. pag. 12), sed aetatem codicis uno alterove eius generis praecepto circumscriptam nolo. Rotundior literarum ductus, universus scripturae habitus, qui pressius Carolingianam, quam dicunt, aetatem sequitur, praesertim cum haud pauca palaeographorum praecepta congruant, efficit, ut prolata sententia subsistam. Neque similitudo quaedam literarum, quam huic codici cum codice Germanico (saec. XIII Iwain von Hartmann von der Aue, p. 34 nr. XCVII et tab. III, 1 apud Adrianum catal. codd. MSS. biblioth. Acad. Gissensis) intercedere animadvertit Schaum, permovere me potuit, ut sententiam mutarem. Apices enim literarum in exemplo illius codicis, quod Adrianus l. l. proposuit, tum praeacuti, ut literarum l, h, tum bifurci, ut literarum l, b, denique ductus literarum artificiosiores multum a simplicitate nostri codicis abhorrere mihi videntur. Folia, quae supersunt, olim duarum compagum erant diversarum, quarum utraque dena folia octonariae formae complectebatur. Prioris compagis

unius folii dimidia pars literis vacabat. Haec omnia quomodo ex collatione librorum Ciceronis impressorum efficiantur explicare longum est et ab hoc loco alienum. Complectuntur autem fragmenta libri Ciceroniani de senectute paragraphos 57—59; 71—73; 77—78; 84—86, libri de amicitia § 4—5. Accedit in folio mutilato fere dimidia pars verborum 'Nonne melius § 82 — satietatem aut modum § 84' libri de senectute. Codicem diligenter ad exemplum haud pravum descriptum fuisse reliquiae testantur; inter optimos tamen eum non rettulerim. Varietates lectionis omnes huc afferre nolo. Satis sit commemorare fere in quavis pagina editionis Orellianae, ubi Halmius Orellii lectionem mutavit, compluribus locis codicis Francofurtensis Halmianam lectionem confirmari. Proprietates lectionis non desunt illae quidem codici nostro, sed tam graves non sunt, ut omnes enumerem. Aliae sunt manifesta calami vitia, ut § 57 extr. 'salubribus' pro 'salubrius', aliae a sententia quidem non sunt alienae, sed propter aliorum codicum auctoritatem improbandae, ut § 71 'aliquando et' pro 'aliquandoque', et Lael. § 5 'de amicitia scripsit' pro 'scripsi'. Semel codex noster solus veri vestigium quoddam servasse videtur. Paragrapho enim 57 libri de sen. exhibet: 'Ubi enim potest illa aetas *calescere melius aut apricatione* vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubribus' *hoc* verborum ordine. Cum autem in cod. Rhenaugiensi et a Nonio (p. 482, 16,) p. 328 col. 1 ed. Gerl. et Roth) prius *aut* recte ante calescere collocatum, vocula *vel*, quam vulgo ante 'apricatione' legunt, a Nonio plane omissa sit, persuasi mihi rectum verborum ordinem esse 'melius apricatione', non ut Orellius et Halmius scribunt 'apricatione melius'; ipsum illud 'aut' vero falso hic insertum, ante 'calescere' omissum esse, unde prius 'vel' vulgatae lectionis esset ortum. Vocula enim *aut* hunc in locum translata, nemo pro *aut* apricatione *vel* igni corrigere non potuit *vel* apricatione *vel* igni, id quod hodie etiam apud Halmium scriptum extat. Restituamus igitur genuinam lectionem: 'Ubi enim potest illa aetas aut calescere melius apricatione *vel* igni aut vicissim umbris aquis*ve* refrigerari salubrius', ita ut in utraque orationis parte 'apricatio vel ignis' et 'umbris aquisve' scriptor aequaliter *una* discernendi particula usus sit.

II^{dus} fasciculus (a K.) inscriptus est: Lucii Annaei Senecae liber de Beneficiis L. s II cap. 18—27. Folia duo Membran. Saeculi XI—XII Maerz 1823. — Continent illa folia verba Senecae a capitis 18^{mi} § 6 'N]olo: aliquando' — c. 27 § 3 'ad praeturam usque perdu[ctus'. Longa sunt duodetriginta c. p., lata paulo plus undeviginti c. p.; cum vero a sinistro paginarum adversarum, a dextro aversarum latere singulae literae vel literarum partes abscisae sint, latitudinem paulo ampliorem quondam fuisse patet. Pagina quaeque complectitur undetriginta versus et in superiore margine rubris numerorum *ιζ, ιη, ιθ, κ* notis signata est, unde intellegitur reliquas has plagulas secundam olim et tertiam compagis cuiusdam fuisse. Lineae stilo ductae in primo et extremo paginae versu ad marginem pertinebant, in ceteris versibus suam quaeque literam extremam non trans-

grediebatur, quamquam utriusque rei levia tantum vestigia extant. Litera i nunquam puncto vel accentu notatur; literae y saepius, non semper punctum imponitur, cf. Mannert l. l. p. 15. Membrana minus levis est nec tam tenuis quam Ciceroniani codicis, scriptura formae rotundae neque caret elegantia quadam. Syllabae '*con*' inversa *c* scriptae nonnulla inveniuntur exempla, vulgo aut plene, aut *cō*, aut *c̄* scripta est. Diphthongus ae promiscue literis e et ę exprimitur, semel literis coniunctis apparet '*æ*qualitatem'; semel initio periodi 'Aeque'; diphthongus *oe* vulgo in v. 'obsc*oe*nus', semel c. XXI invenitur 'obsc*e*no'. Librum saec. XII^{mo} exaratum esse neque multum aetate distare a nr. 1 iudicat *Sch.* atque ipse assentior. Quin etiam fidentius huius codicis aetatem aestimare audeo quam Ciceroniani, cum hic singula palaeographorum praecepta cum universo scripturae habitu conveniant; illic vero fuit cum propter puncta literae i imposita timerem, ne callida librarii manu antiquum exemplum exprimente deciperer. Sed in ipsa hac Senecae membrana demonstrare licet, quam incerta sint aetatis argumenta e solis notarum sive literarum formis petita. Quamquam enim egregius harum rerum existimator Wattenbach l. l. p. 39 docet, quinarium numerum usque ad saec. 9^{num} saepe litera *u*, postea *sola* litera v indicari, tamen, ut supra dixi, in hac membrana, quam nemo saec. IX^{no} exaratam iudicare possit, diserte quinta pagina litera u signata est. Interdum librarius antiquum orthographiae morem secutus est, ut in verbis '*neglegens, milia, milies, aditiendȧ* (sic, litera t cum c falso permutata), *locuntur, iuli* (sic) *viri egregii*'. In adaequandis literis compositorum verborum constantem se non praestitit, cum propter 'inpudens, inpetranda' reperiatur 'improbae, impetrasset'; semel 'inritum' vocem *altera* manus, ut videtur, mutavit in 'irritum'. Praeterea pauca verba corriguntur aut a 1^{ore} manu, ut 'colo̊re', 'accę̊pit', aut ab altera, ut c. XXIV 'refrixit', quod 'guit' syllaba supra scripta convertitur in 'refriguit', itemque 'mi' addito 'chi' in 'michi'. Ex iis codd., quos Fickert contulit sive collatos ab aliis adhibuit, nullum invenio, cui hic non sit multo praeferendus. Quod ita nolim intellegi, tanquam vitiis librum vacare aut ad emendanda verba scriptoris, qualia nunc leguntur, multum conferre dicam. Illud si ab optimo quoque codice exspectaveris, egregie falleris; hoc cur fieri non possit, causa est paginarum, quae sunt reliquae, paucitas. Unus omnium optimus codex librorum Senecae de beneficiis, quem olim Gruterus contulit, Nazarianus, v. Fickert. vol. II praef. p. VIII, periisse videtur; certe ubi lateret omnes, qui a Grutero usque hos libros ediderunt, fugit, cf. Haase, praef. vol. I post mediam p. 6. Ubicunque autem e Gruteri copiis Nazariani libri varia lectio affertur, multo plurimis locis noster codex consentit, sive vera illa est, ut c. XXVII 'hic, qui', ubi nullus alius codex *utramque* vocem servavit, sive depravata, ut ibid. 'te(m)pus illi quam animi', vel c. XXV 'Chrysippus (Crisippus) quidem in illum velut certamen', sive lacunosa, ut c. XXIV § 1, ubi verba 'et qui meminit' ante 'eam refert' ab utroque codice absunt. Omnes libri varietates cum pulvisculo excutere nunc quidem

non licet; tamen quanti sint haec fragmenta, apparebit hoc modo. Et Fickerti editionem et ipsius Gruteri animadversionum in Senecae opera exemplum ex typographeio Commelini a. 1594 editum, quod olim ex Carmelitarum coenobio ad huius urbis bibliothecam translatum est, diligenter comparavi, ut, quid Gruterus in Nazariano libro legisset, constaret. Efficiuntur a capitis 18mi § 6 — cap. 27 § 3 triginta loci, ad quos Gruterus aut ipsa Nazariani verba attulit, aut quid in libro invenisset, significavit. Omnium horum locorum (vel si libebit excipere unum locum non omni ex parte congruentem, tres ubi minus certo ex Gruteri verbis conici possit), viginti sex locorum *tres* dissentiunt, ceteri plane consentiunt. Quam enim quarto loco — c. 20, § 2 sub extr. — animadverti dissensionem, ea non in ipsis scriptoris verbis inest. Uterque codex ibi exhibet 'ubi viderat tot milia hominum (bello civili) pugnantia, non an servirent, sed *utri*'. Sed Gruterus l. l. p. 529, col. 2 '*utri* disertim legitur in cod. Naz. *hac addita nota:* Pompeio an Iulio', cum in Francofurtensi fragmento eius notae vestigium appareat nullum. Sequitur partes ipsius Nazariani haec fragmenta non fuisse. Nihilo vero secius ea optimo cuidam codici quondam inserta fuisse non modo ex iis, quae de similitudine Nazariani libri commemoravi, recte colligitur, sed etiam ex hac re, quod, ubi de Nazariani lectione mentio facta non est, Francofurtensis libri sive bonae sive pravae lectiones in iis fere reperiuntur codicibus [Fickerti codd. R et G (G W)], quos proxime a Nazariano abesse editores consentiunt. Quid? quod sex locis, ubi recentissimus editor, Haase, varietates aut Nazariani aut 2di illius codicum generis a Fickerto spretas in suam editionem ut meliores recepit, easdem noster codex confirmat. Sed ne ita quidem egregii libri copia videtur esse exhausta. Quattuordecim, vel si primae manus correctiones quasdam adieceris, sedecim varietates inveniuntur, quae a ceteris libris plane absunt. Quas iam brevissime perlustremus. Duobus locis, 1.) in hac sententia (sub extremum caput XVIII) 'non refert quid sit quod datur, nisi a volente *nisi* volenti datur', et 2.) in iis, quae Furnius Augusto, cum patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit (c. XXV, 1) 'Hanc unam, Caesar, habeo iniuriam tuam: effecisti ut *et* viverem et morerer ingratus', *repetita* particula ad rem, de qua agitur, accommodata, ne dicam necessaria est. *Illic* enim modo id ipsum Seneca demonstraverat nisi volenti beneficium dari nulli posse, cuius rei gravitas, si vocabulo 'volenti' particula 'nisi' iterum addita suum pondus tribueris, augebitur; sin ceterorum librorum exemplo semel 'nisi' posueris, sententiae vis minuetur. *Hic* nemo non videt Furnium per *totam* vitam ingratum se confiteri; sentire enim se dicit, quantum sibi non modo extrema vita, sed iam in praesentia deesset, ut tanto beneficio dignam gratiam referret. Verborum melior ordo servatus est in nostro codice his locis 1.) c. XIX § 2 init. 1.) 'Num ergo beneficium est ferae auxilium?' ubi, quae in ceteris libris extant, 'Num ergo est beneficium ferae auxilium'? ambigua sunt nec minus inepta quam si nos diceremus: 'Ist also Wohlthat eines wilden Thieres Hülfe', cum sensus sit: 'Ist

also eines wilden Thieres Hülfe Wohlthat?' cf. de hoc ambiguitatis genere praecepta grammatica ab Haackio ad complendum librum Ellendti et M. Seyfferti edita Berol. 1867 pag. 296, e. Similiter extremo capite XXIV: 'Nunquam tibi *referre gratiam* potero' verbum referendi, in quo summa rei insit, recte accusativo *prae*positum est, cf. quae sequuntur et cap. XXIV § 1: 'quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit, et qui meminit, eam refert'. Etiam in verbis (sub extr. c. XXIV): 'Loquendum est pro magnitudine rei impensius et illa aditiendå (sic pro adiciendå)', id quod emendatrix *prima* manus scripsit 'adiciendo' praestare videtur vulgato 'adicienda'. Neque enim novum quiddam praeter impense loquenda illa addere voluit Seneca, sed genus ipsum impense loquendi exemplo quod sequitur illustrare. Quod capitis XXI § 1 extr. vulgo legitur: 'Etiam ab aliquo tali accipiam pecuniam, quam pro capite dependam', non nego equidem latine dici posse, sed cum ab iis libris, qui sunt optimo proximi R G T w (v. Fickert. ad l. l.) vox 'tali' absit, in Francofurtensi libro: 'Etiam a tali accipiam' omissa voce 'aliquo' extet, certe dubitari non quit, alterutrum si omittendum sit, quin nostri libri scriptura praestet. Sequuntur tres loci, ubi negari non potest, illa, quae sint in ceteris libris, elegantiae quandam speciem prae se ferre, Francofurtensis libri ordinem verborum esse simpliciorem. Cap. XX enim § 1 in ceteris est: 'Mihi enim, cum vir magnus *fuerit in aliis*, in hac re videtur vehementer errasse', in nostro codice: 'in aliis fuerit'; c. XXI init. illic: 'venire in disputationem potest aliquam etc.', hic: 'venire in aliquam disputationem potest', c. XXIII § 2 in illis: 'Quidam furtive agunt gratias et in angulo et ad aurem', in hoc: '... gratias agunt'. Sed vide an in hos locos illud cadat, quod Fickertum (Praef. vol. 1mi p. VII) jussit: 'saepe scripturam elegantiorem, quam vocant, repudiare'. — C. XXIV extrema § 1 haec vulgo leguntur: 'Nam qui neglegens est in accipiendo, cum omne beneficium recens placeat (Haase 'recens [magis] pateat', in Francof. 'recens pa[]eat'), quid *faciet*, cum prima eius voluptas *refrixerit*', in nostro libro: '*faciat*' et '*refrixit*'. Facile intelleges 'refrixit', quod Gronovius olim in ed. sua expressit, ita tantum ferri posse, si potentialis modus *faciat* antegressus sit; contra si illic *faciet* scripseris, hic altero futuro opus esse. Ipsa sententia autem, utrumcunque probabis, recte habebit. Item c. XXV extr.: 'Et quidem magna illi celeritate opus est, magna contentione, ut consequatur antecedentem,' vix praestat illi, quod liber Francof. exhibet: '... magna .. contentione ... magna celeritate'. Hic primo vides hominem nitentem in cursu, tum ipsam quam nisu effecit celeritatem, illic eum qui statim a carceribus illa, quam natura ei ingeneravit, celeritate usus sub extremum stadium vires intendit. Neutrum a re, quae describitur, alienum dixeris. Minus probo, quod librarius codicis nostri c. XXI § 5 'qui non aestimant mittentes' scripsit pro 'non aestimabant', vel XX § 2 'posse vocari' pro 'posse revocari'. 'Colore' pro 'colere' (c. XXVI extr.) idem mero calami vitio scripserat, quod ipsa 1ma manus superscripta litera e sustulit. Extremo loco

afferam verba haec e c. XXI, § 2 initio, quia inde apparebit, quam diligenter librarius etiam in iis, quae vitiose scripsit, suum exemplum imitatus sit. Nam 'solvi cum illi pecuniam' nihil aliud est nisi ceterorum librorum illud: 'solvam illi pecuniam'; memineris modo literam *a* saeculo octavo et nono u literae similem fuisse illam quidem, ita tamen ut altera eius linea paene *c* literam exprimeret, quare in tab. 1ma appendicis lexici diplom. Waltheri vocabula 'habent' et 'habentis' esse videntur 'hicbent' et 'hicbentis'. Ita factum est, ut 'solvā' sive 'solvīc' legeretur 'solvi c̄, i. e. cum'. Certe malo hoc modo rem explicare, quam admittere quod altera manus in libro post 'pecuniam' superscripsit 'reddidero'. Quam vocem si ad 'creditum', quod antecessit, referas, exspectandum potius fuit 'reddidi cum illi pecuniam, solvero (creditum)', cf. c. 34: 'aliter beneficium, aliter creditum solvitur'. — Verum reputes velim, codicis alicuius aestimationem, si ex iis solis lectionis varietatibus pendeat, quae ab omnibus aliis eiusdem scriptoris libris absint, vix satis iustam esse. Id quod in hac ipsa causa confirmatur. Ut enim liber Francof. in iis, quae supra proposui, varietates exhibuit saepe bonas, ita in aliis locis haud raro *eximiam* lectionem aliorum librorum egregie comprobat. Cuius rei unum sufficiat exemplum. C. XVIII, § 7: 'Nemo *enim* id accipiendo obligatur quod illi repudiare non licuit' multi editores, Rod. Agricolae coniecturam secuti, scripserunt, codicum plurimorum, quibus nunc Francofurtensis quoque accedit, scripturam: 'Nemo *in id*' etc. spreverunt. Haase demum verum restituit. Vidisse enim illum arbitror recte coniungi 'Nemo in id obligatur accipiendo' etc., item atque Livius l. XXX c. 12 sub extr. scripsit: 'amore captivae victor captus, data dextera, *in id*, quod petebatur, *obligandae* fidei, in regiam concedit'.

IIItius fasciculus continet quattuor folia membranae crassae, quibus ipse paginarum numeros adscripsi. Longa sunt 30 c. p., lata 21 c. p. Foliorum margines non semper integri sunt, ita ut in altero et tertio folio ipsorum scriptoris verborum paucae literae, in primo et quarto pars quaedam annotationum margini appositarum desideretur. Verba margini appicta aut argumentum, de quo agitur, aut annorum numeros significantia, partim ab eadem manu literis rotundioris formae scripta sunt, partim gothicis, quas dicunt, literis. Sunt haec fragmenta 'Chronicorum Eusebii in linguam latinam ab Hieronymo versorum excerpta', hic illic aucta aliorum scriptorum testimoniis, quae maximam partem ad historiam ecclesiasticam spectant. Fol. 1mum a Ptolemaeo Euergete, anno mundi $\overline{\text{III}}$DCCVII = 243 (247) a. Chr. incipit et pertinet usque ad Vergilii diem natalem; fol. 2dum a Vergilio nato (70 a. Chr.) usque ad annum XV Tiberii (p. Chr. 29); fol. 3tium a Macrino (p. Chr. 217) usque ad Gallienum (p. Chr. 259); fol. 4tum a Claudio imperatore (p. Chr. 268) usque ad Constantini Magni baptisma (337 p. Chr.). — Exaratus esse videtur hic liber fere eadem aetate atque superior (Sch. R.). Quamvis mira scriptor interdum tradat, ut fol. III, p. 2 extr.: 'Theodorus episcopus montem movit precibus, ut

ecclesiae faciendae locus sufficeret', neque omnia latino ore efferat, ut IV, 2 extr.: 'Nec non et beato paulo (sc. basilicam aedificavit) corpus utriusque aere cypro (sic pro Cyprio) circumdans quinque pedes *grosso*', tamen ea, quae ad Hieronymi verba sunt addita, antiqua esse judico neque a mediae aetatis, quam historici vocant, homine hinc illinc excerpta, cf. haec verba (IV, 1, v. 5): '(Marcion dissertissimus antiochenae presbiter ecclesiae) adversus paulum de samosathe, qui antiochiae episcopus dogmatizabat christum communis naturae hominem tantum fuisse, *accipientibus notariis*[1]) disputavit, *qui dialogus usque hodie exstat.*'

Ciceronis or. pro rege Deiotaro et Cato.

IV^to^ fasciculo (K.) hunc indicem inscripserat: Ciceronis Oratio pro Dejotaro cap. 2 sqq. fragmentum Membran. Saeculi XI—XII. — Sunt autem fragmenta illa duae plagulae quaternariae, longae paulo plus 19 c. p., latae paulo plus 18, a quarum margine extremo pauci versus imae paginae abscisi sunt. Literis exarata sunt satis magnis quidem, sed saepe pallidissimis. Formam literarum iam minus rotundam duodecimi potius quam undecimi saeculi esse puto. Sch. igitur recte adscripsisse videtur 'XII saec. exeuntis'. Inest praeter partem orationis pro Deiotaro, quam (K.) significavit, etiam fragmentum libri de senectute. Orationis verba in folio priore pertinent a (c. 2, § 4) verbis 'Deiotaro quam intellego' usque ad § 11 extr. 'Quoad ita essent'. Desunt tamen in extrema 1ma pagina post verba 'te oro quam' paulo plus quam tres versus Halmianae editionis (Orellianae 2^dae^) usque ad verba: 'pla]catum Deiotari' in extr. § 8. Alterum folium continet § 26 init. 'laetitia Deiotari etc. — ineunte aetate' sub extr. § 26. Extrema orationis pars deest. Media pagina 3^tia^ incipit libri de senectute pars, ab initio — § 2 'iucunda huius'. Post lacunam similem prioris folii lacunae quarta pagina incipit a verbis 'de ceteris' et concluditur voce 'sapientiam' initio § 5^tae^. — Orationis fragmenti pauca quidem sunt propria, ut prava scriptura 'de ceteris' pro 'de te ceteros' extr. § 4 et 'Sed' pro 'Quae' initio § 7; tamen liber, quia admirabilis eius similitudo est cum Gudiano 1mo (v. Halm in ed. l.) in meliorum, non dico optimorum genere habendus est. — Libri de senectute verba saepe sunt similia Halmii codicibus B, S; bonae codicum familiae exemplum diligenter imitata non sunt.

4 folia lexicorum latt., 1 fol. lexici lat.-germ.

V^tus^ fasciculus complectitur quinque plagulas membraneas variae aetatis variique argumenti. Duae, longae 21 c. p., latae paulo plus 16 c. p., quarum paginas numeris α, 1. 2. 3. 4. notavi, partes fuerunt lexici latini secundum literas digesti. Pagina quaeque

---

[1]) i. e. tachygraphis. Adde iis, quae Kopp Palaeograph. crit. I § 25. 26 congessit, testimonium Asconii (argum. orat. Milon. § 31), ubi ad verba 'Manet illa quoque *excepta* eius oratio' Halm p. 15 recte adiecit 'a tachygraphis'.

in binas columnas divisa est. Quae restant, partim ex uno latere abscisa, partim, ubi quondam cum aliis plagulis conglutinata erant, graviter laesa sunt. Paucae paginae 1mae interpretationes ex litera b sunt, cetera ad c literam attinent et concluduntur pag. 4 extr. voce 'colobium'. Exaratus esse videtur liber saec. XIII—XIV (R.), XIV (Sch.). Interpretem glossarum hominem fuisse doctissimum intellegitur ex eo, quod non solum latina, sed etiam graeca et hebraica vocabula diligenter explicat nominumque propriorum vim illustrat; ad hoc interdum laudat testes gravissimos, ut α, 3, col. 2, v. 3. Isidorum, v. 6. Priscianum. Paucissima subicio exempla ex eadem illa columna: '*Coaspis* fluvius Persarum lingua eorum sic dicitur propter dulcedinem aquae ysid.' i. e. Isidorus. — v. 4. '*Coelech* ebraice, ecclesiastes graece, concionator latinum'. — v. 6 '*Corylon* ṗs'. i. e. Priscianus, 'in diminutivis'. Locum scriptor non videtur recte indicasse. Nam invenitur quidem apud Priscianum (Instit. I, p. 36 ed. Hertz) 'corylus ἀπὸ τοῦ καρύου' caput de diminutivis vero p. 101 demum incipit neque, quantum scio, inter diminutivorum exempla ibi corylus affertur. — v. 9. '*Cobar* interpretatur grave' (cf. interpretationem huius vocis in Diefenbach. glossar. mai. lat.-germ. 1857, 4. ad v., quae e Papiae lexico deprompta est) 'flumen babilonis ubi ezechiel vidit visionem. est autem alius fluvius tigris interpretatur velox et significat transitorium huius *mondi*' (sic). Ultimo loco adicio ex priore eiusdem paginae columna '*Citrangulum* pomum *arangae*' (sic), cf. Diefenb. l. l. ad v. citrangula. — Librum hunc in Gallia scriptum esse conicere fortasse licet ex vitio scripturae 'mondi' pro mundi et ex 'abrenonciationem' v. 15 columnae l., in qua voce Itali 'u' servant, non ut in mundus una cum Gallis in 'o' vertunt. Scida, quae mediae paginae α, 2 agglutinata fuerat, inscripta est: Monumenta Ordinis F. ass. 7 . . . N. 134. — Unde si colligere velis haec duo folia aliquando in coenobio Fratrum quorundam servata fuisse, non adversor. Plura opinari nihil iuvat. — Fragmentum glossarii latino-germanici, quod sequitur, β 1 et 2 a me designatum, longum paulo minus 21 c. p., latum 14, in charta scriptum, L. Diefenbach, cui impertivi, dignum habuit, quod in Novum gloss. lat.-germ. med. et inf. aetatis 1867 (praef. p. XVII sq.) reciperet. Ubi cum omnia diligenter, ut solet, ipse expresserit, nihil habeo, quod addam, nisi hoc unum, in glossa: 'Ignile *fyrt* gezyg' (sic enim scriptum exstat) aut hanc scripturam servandam fuisse, aut causam addendam, cur fy*er* praeferretur. — Reliqua sunt huius fasciculi duae plagulae (γ, I et II), longae 20 centesimas, latae paulo plus 15, quae glossarii latini partem (ex literis S et T) continent. Scriptae videntur saec. XV (Sch. et R.) et, quamquam lexico superiori non sunt pares, tamen non indocte compositae, quod hoc uno exemplo (γ II, 1, col. altera) comprobare liceat: 'Tabita hebraice dorcas graece damula vel caprea latine dicitur per (?) Marcum dicitur qui tabita interpretatur puella et habet mediam productam' (cf. Ταβιθά in H. Steph. thes. ed. Didot). Ita efficitur, pro Ταλιθά, quod Marc. V, 41 vulgo legitur, alios Ταβιθά scripsisse.

Fragmenta codicum Vulgatae et carminis de historia Assueri et Estheris.

VI^ti fasciculi quattuor sunt plagulae, duae longae paulo plus 18 c. p., latae fere 12, reliquae longae paulo plus 18 c. p., latae paulo minus 15. Illae, quas VI, 1, α et VI, 1, β notavi, olim unius folii binariae formae partes fuerunt, postea ita sunt discisae, ut inter utrumque fragmentum fere unus versus periret. Quibus bibliopegi forfex pepercit, haec sunt. VI, 1 β, 1 bibliae vulgatae ev. Ioan. c. 7, v. 10 'ipse ascendit', — v. 16 'mea doctri[na'. Sequitur VI, 1, α, 1 c. 7, v. 17 'volue]rit voluntatem eius etc.' — v. 19 'interficere?'. VI, 1, β, 2: ibid. v. 20 'Respondit Iesus etc.' — 26 'prin[cipes'. VI, 1, α, 2: 'Christus autem' — 31 'De turba autem'. Aetatem libri primo propter nitidissimam scripturam et ipsius textus et glossarum inter lineas atque in margine adscriptarum ad saec. XI rettuleram; nunc postquam in una pagina vestigia linearum plumbagine ductarum animadverti, cf. Mannert l. l. p. 3, Schaumio suadente saec. XII haec fragmenta scripta esse iudico. In VI, 1, α, 2 appicta sunt haec: Emptus 6 ꝓ conpactus y ꝓ.r.s.a.b. 1527 6° Octob. ī vsum Cor. Susij in Col. Trv., in VI, 1, α, 1 M. G. Veesenmeyer. Prof. 1828 m. Oct. Reliqua duo huius fasciculi folia, 2, α et β, ex interiore margine inter se conglutinata, membranae tenuioris, inscripta sunt (VI, 2, α, 1): 'Assueri et Estheris Historia, eleg. K.', (VI, 2, β, 1): 'Sec. XIII'. Versus singuli atramento ducti, literae magnae illae quidem sed artificiosiores indicant librarium fere exeuntis saec. XIII (Sch. R.). Carmen per disticha procedens Assueri et Estheris res sermone tumido describit. Metricas leges haud raro migrat, ut VI, 2 α, 2: 'Iūbēt ut populus qui susĭs in urbe moratur Conveniat', nisi mavis corrigere: 'Rex iubet .... qui Susa in urbe moratur, conveniat', neque calami vitia absunt, ut VI, 2 β, 2 post med. 'cibis (i. e. unguentis) aliae proprium viuere decorem', ubi 'ornavere' vel simile aliquid exspectabas, cum 'viui' a viendo ductum non dicatur et sententia perversa sit. Ibidem 4to versu ab inferiore margine post 'protector' vocabulum aliquod omissum est; qui enim scriptus est hexameter, ne quinque quidem pedes habet integros.

Boethius de consolatione philosophiae.

VII^mi fasciculi duae sunt plagulae membraneae. Maior paulo plus 15 c. p. in altitudinem, 25 in latitudinem pertinet et olim ita complicata fuit, ut duo folia eiusdem latitudinis efficerentur, utrumque 15 centesimas latum; nunc alterius fere 5 c. p. abscisae sunt. Minor, ne illa quidem integra, ut nunc se habet, patet in latitudinem 12—13 centesimas, in altitudinem 9—10. Utraque plagula continet fragmenta libri Boethii de consolatione philosophiae, partim soluta oratione, partim versibus conscripta, ut carmen dulcissimum de Orpheo Eurydicen ab inferis repetente (lib. III extr.) et versus de Herculis rebus gestis (lib. IV). Illud poema in maiore plagula exaratum aeque atque initium libri 4^ti ibidem servatum de codice melioris generis (v. ed. Obbarii prolegom. p. LII et varias lectiones ad l. l. allatas) transcriptum est et gravioribus peccatis vacat praeter unum versum, ubi 'Maior lex sibi amor' est pro 'Maior lex amor est sibi'. Etiam scripturam, quae quidem legi possit, (nam in aversa pagina plurimae literae aut sunt

dilutae, aut maculis obscuratae) paulo antiquiorem quam minoris fragmenti esse iudico et propter plura compendia, quibus librarius minoris fragmenti usus est, et propter lineas illic deficientes, hic atramento ductas. Sch. utrumque fragmentum saec. XIII tribuit. Ipsa verba minoris plagellae multo sunt vitiosiora, quamquam interdum bonam lectionem confirmat, ut initio carminis de Hercule: 'Aureo *levam* (pro leva) gravior metallo Cerberum traxit triplici chatena etc.'

VIII^vus^ fasciculus complectitur duo folia membranea alta ad 21 c. p., lata ad 15, utrumque misere laceratum, vermibus exesum, maculis infuscatum. Prius scholia continet ad Ovidii Fastorum lib. IV, 625—745, alterum, cuius frustum a sinistra parte superioris marginis discissum in eodem fasciculo inveni, scholia ad eiusdem carminis l. V, 671 — VI, 67. Interpretatio ad singula ipsius carminis lemmata adiecta concise et res ipsas et elocutionem poetae explicat; interdum varia lectio indicatur, ut v. 627 '*sit licet* et sic lege[re] *licet* i. quamvis *sit* adhuc grando in hac die et n̄ fuerit olim. *hac grandine* i. hac die grandinosa. *contudit.* devicit. *mutinensia.* mutina civitas est de qua cesar aug. in hac die triumphavit et est laus augusti qui propter tempestatem non dimisit quin ipse triumpharet. unde lucanus mutineque labores.' Quibuscum si comparaveris, quae in ipso carmine leguntur v. 625 sqq.: 'Luce secutura (postridie Idus Apriles) tutos pete, navita, portus: Ventus ab occasu grandine mistus erit. Scilicet, ut fuerit, tamen hac Mutinensia Caesar Grandine militia contudit arma sua', scholiastae verba, omissa particula 'non', quam ipse punctis delevit, certe haud inepta iudicabis. — Locus Lucani ab eodem laudatus est l. I Pharsal. v. 41. — Minus probatur mihi illud quod scholiasta ad v. 637 affert: '*Ast* ubi vel *est* i. contingit'. Nam rite ac sollenni more, non interdum vel fortuito in sacrificio, quod poeta describit, vituli a virgine natu maxima cremati esse videntur. — Scripturam harum plagularum ad saec. XIII rettuleram atque Sch. consensit. Scholia ad Ovidii Fastos.

IX^ni^ fasciculi sunt duo folia membranea formae quaternariae, lata ad 29 c. p., alta ad 23. Olim tamen ita complicata fuerunt, ut quattuor plagellae, octo paginae efficerentur. Complectuntur Statii Achilleidis libr. 2^dum^ a. v. 160 ad extremum una cum interpretationibus et margini et inter versus appictis. Literae membranarum, quamquam olim diligenter (saec. XIV Sch. et R.) exaratae fuerunt, nunc saepe difficiles sunt lectu, quippe quas et ipsa vetustas et tinearum edacitas corroserit. Quanti liber fuerit, dum aestimare studeo, in manus incidit programma Regimontii 1866 a Dr. Grosse editum, in quo Statianae variae lectiones e codice Treverico depromptae cum aliis comparantur. Quo libro collato cum praefatione Queckii (ed. Teubneriana) et variis lectionibus a G. E. Webero corpori poetarum latinorum appositis, illud mihi persuasi, codicem nostrum non optimum omnium illum quidem fuisse, sed melioris generis. Quamquam enim vel ex uno loco (II, 381 sive 382) apparet, quanto inferior fuerit optimo codice Puteano, — hic liber praeter Gud. I solus ibi aptissimam vocem '*reptantibus* annis' exhibet, ceteri aut '*restantibus*', Statii Achilleis.

aut, ut est in nostro codice, '*crescentibus* annis', — tamen et saepe verba Puteani libri confirmat et proprias quasdam servavit lectiones haud spernendas. At singula persequi non licet, quare hoc unum addo certe Treverico illi codici hunc nostrum multo praestitisse. Ceterum quamquam non omnia, quae possessor aliquis vel lector membranis nostris appinxerit, afferre soleo, uno in folio et 8vi et noni fasciculi notas adscriptas esse commemoro, unde fortasse colligas, has membranas quondam involucra fuisse actorum Hanseaticorum. Illic enim in margine lego a recentiore manu scripta haec: *Hans:* — *ol* —; hic eadem manu: *Hans*: — *im* —.

Anonymi fabb. Aesopeae.

Xmo fasciculo, qui sequitur, duae membraneae plagulae continentur, 30 centesimas latae, 21 fere altae, quae olim complicatae quattuor folia, octo paginas effecerunt. Complectuntur fabularum Aesopearum incerti auctoris, (secundum editiones Argentorat. et Bipontinam) has: fab. 41—47; ultimum versum fab. 48 et duas, quae proxime sequuntur; sex ultimos versus fab. 53; fab. 54, 1—22; f. 55, a v. 3 usque ad extremum; fab. 56—fab. 59 v. 5, quamquam non idem ordo fabularum in libro manu scripto atque in editionibus, quas dixi, servatus est. Libri scriptura magnis illa literis exarata, sed haud raro aut diluta aut lacunis interrupta, ad saec. XIII exiens referenda esse videtur (Sch. R.). Librum, quod in hac paucitate editionum (plurimis enim Phaedri editionibus desunt illae fabulae) conicere possim, perbonum fuisse arbitror. Qua in re ne temere egisse videar, exemplum appono fabulam XLIV: 'De Quadrupedibus et Avibus'. Quadrupedes pugnant Avibus: victoria nutat. Spes onerata metu vexat utrumque gregem. Linquit aves quae sumit Avis de vespere nomen, Nec timet oppositi castra iuvare chori. Armat aves Aquilae virtus, et viribus implet, Et monitu: torpet altera turba metu. Amplexatur aves pennis victoria laetis: Pro titulo poenam transfuga sumit avis. Vellera nuda suo, pro plumis vulnera portat, Edictumque subit, ne nisi nocte volet. Non bonus est civis, qui praefert civibus hostem: Utiliter servit nemo duobus heris'. Ita verba in editione Argentorat. expressa sunt. Addo iam, quae differant in nostro codice, omissa et interpungendi et literarum minorum initio verborum pro maioribus scriptarum et literarum e et ae diversitate. v. 2 *honerata* pro *onerata*; in extremo versu '*greg*' solum restat, ceterae literae exesae sunt. v. 3 *avis* pro *aves*. 'de *vespe*' pro 'de *vespere*', duae extremae literae vocis 'nomen' lacuna perierunt. v. 5 *aquille* pro *aquilae*. v. 7 in codice sic habet: 'Amplexatur aves *ulnis* victoria letis', quocum conferas Ovidii verba de Orpheo, Metam. XI, 63: 'Invenit Eurydicen, *cupidisque* amplectitur *ulnis*.' v. 9. *Vellere* nuda suo pro plumis vulnera *vestit*. Versus 10 in serie versuum omissus in margine adscriptus erat; restant nunc haec vestigia: 'Editumque s. te volet'. Iam ex iis, quae proposui, mecum colliges, ut v. 7mi rationem multo praestantiorem, ita in v. 9, quod in codice exstat, unum verum esse, cum verbis in editione expressis contorta, ne dicam nulla sententia subiecta sit.

XI^{mi} fasciculi duae sunt membranae formae quaternariae, olim in quattuor folia octonariae formae ita complicatae, ut octo paginae exsisterent. Una membrana paulo plus 17 c. p. in altitudinem et paulo plus 22 in latitudinem patet; altera paulo minus 22 centesimas lata et paulo plus 15 alta est. Utraque plagula est mutila, sed cum de priore paucae tantum literae annotationis margini appositae perierint, de alterius plagulae folio altero paene tertia pars abscindendo deminuta est. Haec, quae reliqua sunt, complectuntur Sedulii carminis paschalis l. III, v. 187—295 et l. IV, v. 173—279. Inter versum 295 libri 3^{tii} et v. 173 libri 4^{ti} quattuor folia perierunt, i. e. octo paginae, in quibus item atque in his reliquis viceni septeni versus scripti erant. Solam paginam alteram ex iis, quae perierunt, 26 carminis versus complexam esse colligo. Ibi enim versus 16^{mus} tertii libri finem fecit; versum 17^{mum} ipsa libri 4^{ti} inscriptio occupavit, quam deinceps decem primi 4^{ti} libri versus exceperunt. Haec efficiuntur collatis paginae cujusque versibus cum verbis ipsius poetae qualia in bibl. patrum expressa sunt. Aliae editiones cum ad manus non essent, de virtutibus fragmentorum horum iudicare nolim. Aetatem codicis, quam K. ad saec. XIII vel XIV rettulerat, Schaumius propter rotundiorem literarum formam, ut videtur, rectius saec. XII exeunti tribuit. Sedulii carmen paschale

XII^{mus} fasciculus a K. inscriptus erat: 'Commentarius in Celsum de re medica IV, 1 fragment. membran. Saeculi XIII'. Unum folium membraneum, quod fasciculus continet, quodque saec. XIII exeunti attribuas licet (Sch. R.), altum 20 c. p., latum fere 13, satis nitide, sed per multa compendia, binis in utraque pagina columnis, scriptum est. Aversae paginae olim agglutinatae pauca tantum legi possunt, cum is, qui folia avellit, non satis caute egerit. Res quae tractantur ad medicam artem quidem pertinent, sed ab iis, quae Celsus l. l. disputat, alienae sunt. Equidem commentarium hunc medicum interpretari crediderim *Philareti libellum de pulsuum scientia.* Certe argumentum eius libelli, cuius interpretationem latinam ab Albano Torino conscriptam invenies in 'Medicae artis principibus Latinitate donatis ed. H. Stephanus 1567', (cf. vol. II p. 845 B c. III et p. 849 B sub extr. 'Pulsuum' etc.) prorsus cum hoc fragmento consentit. Verba textus hic illic scholiis praeposita interdum plane eadem sunt, ut col. II v. 8. '*instar canalis*' et v. 7. '*duabus tunicis*'. Alia, quae discrepant, haud mireris, cum diversa Graeci textus interpretatio scholiorum scriptori ante oculos fuisse possit. Scholia in Philareti libellum de pulsuum scientia.

XIII^{mus} fasciculus complectitur α) tria folia membranea saec. XIV^{ti} (Sch. R.), 21 centesimas alta, 14—15 lata, quorum aversae paginae, olim agglutinatae discindendo ita laesae sunt, ut satis multa legi non possint. Quod in margine unius folii recentiore manu scriptum est, 'Theologie' ab ipso argumento libri procul abhorret. Interpretatur enim scriptor verba vel idem significantia vel similiter cadentia versu hexametro. Verba partim quia literae expalluerunt, partim propter multa compendia scripturae difficilia sunt lectu. Eius paginae, quae maxime perspicua est, quinque versus extremos hic appono Libri grammatici versibus scripti

exemplum: Os oris loquitur corio vestitur os ossis. Os oris longum os ossis corripiendum. Affrorum (sic) lingua signare mapalia dicas Pastorum caveas et idem magalia dicas. Distant quod breve sit illud, producitur illud. — β) quattuordecim folia chartacea paulo plus 21 centesimas lata et alta et haud pauca frusta foliorum eiusdem generis. Charta notata est signo pellucido capitis bubuli, inter cuius cornua spiculum infixum est, de quo v. Ersch et Gruber Encyclop. ad vocem 'Papier' p. 91. Scripturam saec. XV^{mi} esse iudicat Sch., equidem ad XVI saeculum rettuleram. Traduntur in libro versu hexametro verba per partes principales declinata una cum interpretatione ac verbis nominibusque derivativis. Exemplum subicio hos versus, neque ad latinitatem neque ad prosodiae leges semper adstrictos: 'Narus vel gnarus ignarus nectitur inde Ignoro de quo venit ignorans tia formans Nosco componit agnosco sed agnus abhinc do Quo venit agninus agnellūs agniculusque Cognosco quod con pre re sibi vult sociare' et ex litera P: 'Plaudo praeteritans plausi plausumque supinans Fert plausus quo plausidicus que (et) plausifficus do Plaudo conplaudo simul (*j*?) applaudo sociabis etc.'

Aristotelis liber topicorum in linguam lat. conversus.

XIV. Tria folia membranea, quae huic numero subiecta sunt, unum octo paginarum formae minoris octonariae, alterum tertiumque quaternarum paginarum eiusdem generis servant reliquias magnam partem et propter multa compendia et propter argumentum ipsum difficiles ad legendum. Primum est 31 centesimas altum et 13—17 latum, alterum fere 16 c. p. altum, 22 latum, tertium paulo minus 16 centesimas in altitudinem, paulo plus 21 in latitudinem patet. Nullum non mutilum est aut misere laceratum. Quid, quod ipsa subscriptio unius paginae, unde libri nomen enucleare debeas, lacunis interrupta vix legi potest. Tamen interpretari conatus sum 'explicit liber septimus thopicorum (sic) Aristotelis,' idque collatis Graecis verbis cum iis, quae subscriptioni antecedunt, confirmatum video. Scripturam saec. XIV exeuntis esse cum Sch. iudico.

Liber rhetoricus versibus conscriptus.

XV. Ad hunc numerum referuntur duae plagellae membraneae, altae paulo plus 19 c. p., latae paulo plus 13, quas quondam in coenobio huius urbis servatas fuisse fortasse conicias ex nomine 'Frater Wendelinus vrsell' in margine alterius plagellae appicto. Scriptura, compendiaria illa quidem, sed satis concinna, a K. saeculo XIII^{mo}, a Sch. verius, puto, saec. XIV^{mo} attribuitur. Quae idem K. in fasciculo inscripserit: 'fragmenta ex grammatica quadam metrica aut ex Lucretio?' falsa esse contendo. Laciniae enim duae membraneae eodem fasciculo complexae paulo plus 19 centesimas altae, 1—2 latae nominibus, quae ad artem rhetoricam attinent, ut: Degradatio, Occupatio, Interrogatio, aliis hic illic inscriptae sunt; quas eiusdem olim libri fuisse ex eo colligas, quod duae eiusmodi inscriptiones 'Duplicatio' et 'Disiunctio' et in una lacinia scriptae et in una ex duabus maioribus plagellis inverso literarum ordine expressae inveniuntur. Ad hoc ipsa, quae iam appono, exempla demonstrant scriptorem rhetorices praecepta haud ineleganti verborum copia et facilitate quadam loquendi tractasse. Rhetoricum argumentum magis apparebit ex his verbis: 'denarius

(gl. addit: numerus) iste colorum Verba colorat ea gravitate. quod est alieno Non proprio vox sumpta modo. genus omnibus unum Scilicet improprius vocum status. et peregrina Sumptio verborum ne forsitan hesitet inde Mens incerta. fidem faciant exempla secuta. Prodeat in medium talis sententia. languens Affectat medicum. luguens (sic) solamen. egenus Subsidium. melius florent hoc scemate verba Languor eget medico. solamine luctus. egestas Subsidio. verbis his est innata voluptas Et iuvat informe (sic) concretum vertere languens In languor. lugens in luctus egens in egestas'. Sermonis elegantia magis elucebit in alterius plagellae exemplo hoc: 'Tempore successus. iocundi tempore fati Hoc potes ore loqui. luctus praesaga futuri Anglia. regnorum regina. superstite rege Richardo. cui par exstat diffusio tanti Nominis. et mundi cui monarcha (sic pro 'monarchia'?) relicta Est soli. secura sedes sub remige tanto Rex tuus est speculum. quo te speculante superbis Sidus de cuius rutilas splendore. columpna Per quem fulta viges. fulmen quod mittis in hostes Laus qua pene deum pertingis sydera. claudam Singula. non illo potuit fecisse priorem Non voluit natura parem. sed viribus absit Prorsus habere fidem. mors est quae fortia frangit Ominibus ne crede tuis. si tempore parvo Illuxere tibi. mox sunt clausura serenum Nubila fata diem. ducentque crepuscula noctem. Iam cito rumpetur speculum. speculatio cuius Gloria tanta tibi. sidus patietur eclipsim A quo sic fulges. nutabit rupta columpna Unde trahis vires. cessabit fulminis ictus Unde timent hostes. et eris de principe serva Omnia leta vale tibi sunt dictura. quiescis. Sudabis. rides flebis. ditescis egebis. Flores marcebis. es. vix eris'.

Doctrinale Alexandri de villa dei; alius liber grammaticus distichis compositus; codicis Prisciani institutionum fragmenta.

XVI^{mus} fasciculus complectitur α) duo folia membranea alta paulo plus 21 c. p., lata fere 17. Eiusdem utrumque libri fuisse videtur, quamquam illud artis grammaticae et rhetorices nomina, quae vocantur technicorum, explicat, hoc accentuum doctrinam tradit. Scripturam utriusque, ab eadem manu videlicet exaratam, ad saeculum XIV exiens sive ad XV^{mi} initium rettulerim. Prioris exemplum hoc sit: 'Gracius hinc ainon nomen traxisse putamus Obscurus sermo quasi mirandus sit enigma Patrem progenies occidit matris in alvo Quando mater genuit generavit filia matrem Quam mater genuit, generavit filia matrem Mater me genuit mox mater gignitur a me'. Alterius folii rationem quae declarent, sufficiant haec: Sunt quaedam quibus est gravis accentus quasi nullus Ut conjunctive voces et postpositive Dictio cui tantum duplex est sillaba servat Accentum super primam sit longa brevisve, cetera. [2])

[2]) Annot. ** Jam scripseram, quae supra legisti, cum in mentem mihi venit libri ab optimo patre olim relicti 'Tertia et 4ta partes doctrinalis magistri Alexandri' etc.; in extremo libro inscriptio repetitur sic: 'Alexandri grammatici due partes 3^{tia} videlicet et 4ta finiunt feliciter Impresse per Henricum *Quentell* in sancta civitate Coloniensi' (ad nomen typographi manu patris mei adscriptum est: 'vixit Sec. XV, extr.'). Hoc libro et quidem 4ta doctrinalis parte omnia, quae litera α) complexus sum, continentur, cf. 2^{dam} paginam 4^{tae} partis doctrinalis et decimam ab extrema. Quae in impresso libro aliter leguntur atque in foliis α) omnia huc affere nolo. Ad sola verba, quae supra exscripsi, pauca addo. Post 'Gracius' (gratius), a quo vocabulo librarius novi folii exordium duxit,

β) unum folium 16 centesimas altum, 22 latum, olim in duo folia octonaria complicatum, cuius una pagina, inquinata illa misereque discissa, dimidia fere ex parte legi potest, ut: 'Coste decas gentos sub eodem collige sensu Haec proprie dicit lingua latina decem Occipiter (sic pro accipiter) volucres et aello suntque celeno (Κελαινώ) Quas vocat arpiis (sic pro arpias) usus ab arpo rapit. Res individuas designat ypostasis omnis etc.' Unde et elegiacum metrum et grammaticum argumentum satis cognoscitur. Scriptura fere saeculi XIV est et nitidius exarata quam quae olim in aversa pagina duabus columnis scripta erant similis argumenti, ut: 'Olim proselitus fuit advena quisque vocatus.' γ) duas lacinias discerptas, quarum mensuras definire vix operae pretium est. Continet maioris fragmenti pagina 1ma Prisciani grammatici institutionum grammaticarum ed. Hertz vol. I p. 340 v. 19—341, v. 10, altera p. 342, v. 5— v. 25; sequitur minoris fragmenti pagina adversa a p. 347, 2— v. 15, pagina aversa a. p. 348, 16—26; tum maioris frusti 3tia pagina a p. 354, v. 11—24 et ultima pagina a p. 355 v. 13—24. Scriptura codicis, a me ad saec. XIII relatum, rectius a Sch. saec. XIV tribui videtur. Exemplum codicis in optimis non fuisse collatio lectionum apud Hertzium adscriptarum demonstrat.

Scholasticae philosophiae reliquiae.

XVII. Trium foliorum membraneorum, saeculi XIV et XV (Sch. R.), quae hoc numero continentur, I et II fere 15 centesimas alta, fere 21 lata sunt, IIItium eiusdem latitudinis in altitudinem paulo plus 15 c. p. pertinet. Illorum membrana satis integra est, sed adversarum tantum paginarum scriptura, per ternas columnas exarata, legi potest; tertii folii magna pars abscisa est, ita ut duae paginae solae integrae, duarum aliarum vix dimidiae partes relictae sint. Omnia in scholastico philosophiae genere versantur, illorum foliorum scriptor in philosophia morali, tertium folium qui scripsit, in dialecticis. De Imi folii col. 2da sufficiant haec: — — *Legitur de discipulis* platonis qui toto die morabantur in porticibus (?) templorum deorum suorum et quando interrogabantur quare ibi toto die morarentur respondebant nos hic moramur ut videntes nos in loco sancto nichil cogitemus quod non sit sanctum Sic memorare (?) liceret de nobis si moraremur circum locum passionis et . . . . tionem cogitaremus etc. — De III, 2 haec et legendi difficultate et spinis disserendi molestiora: Ubi vero est circumscriptio conicis a loci cir-

liber impressus recte interpunxit. Est enim ea vox extrema huius sententiae: 'Est charientismos. cum profers dura relatu Gratius'. In versu, qui proxime sequitur, liber manu scriptus recte 'mirandus', impressus male 'miranda' exhibet. 4tus versus manu scripti ab impresso plane abest. Ad *rem* explicandam 'commentum textus' in libro impresso sic: '*Patrem progenies* etc.: Et de beato thoma cantuariensi intelligitur. Nam ipse erat pater animarum, progenies vero humana occidit eum predicantem (in alvo matris) sc. ecclesie, (Quam mater genuit) Per matrem significatur aqua in glaciem converti et ex eadem rursus effluere'. In alterius folii exemplo nihil nisi extrema vox differt. Liber m. script. enim, verius, puto, scripsit 've' pro libri impressi lectione 'que'. Alexander vero ille doctrinalis scriptor idem est, cui vulgo cognomen est 'a villa Dei' quemque sub Frederico IIdo a. 1240 vixisse tradit J. G. Vossius Aristarch. ed. Amstelod. 1662 lib. I pag. 500 extr.

cumscriptione procedens. Locus autem in eo quod capit est et circumscribit. Est ergo in loco quicquid a loco circumscribitur et complectitur etc.

XVIII. Duo folia membranea paulo plus 20 centesimas alta, fere 16 lata, XV^mi saeculi (Sch. R.). Olim partes fuerunt lexici per literarum ordinem digesti. Quae nunc reliquae sunt vocabulorum interpretationes, ex litera D in priore folio, ex literis S et T in altero, his exemplis illustrentur: *dyomedes* de quo in spclo (speculo Vincentii Bellovacensis?) archipirata quidam fuit. *dyota te* est vas urnarium duas ansas vel aures habens a dya (sic) quod est duo et ota auris annuit (?) idem etiam amphora. *dyotrepes pis pe.* cognitus quidam heresiarcha (significari videtur idem, de quo mentionem fecit Ioannes evangelista ep. III v. 9). *dyonolares* vel dyonole vel dionoltres (dionolatres? a λατρίδες, ιες Διώνης, cf. Herod. I, 199) dicuntur vilissime mulieres meretrices. et ex litera S: *Sustollo* llis sustuli sublatum est sursum tollere elevare sustinere praesidiari suffragari etc. Glossarii latini fragmenta.

XIX numerus continet duas plagellas, saec. XIV (Sch. R.), 30—32 c. p. latas, 22—23 altas, quibus grammatica praecepta traduntur, ut de verbis deponentibus hoc: Tu misereris et opitulor sequor addito vescor Largior experior vereor moror osculor ortor (i. e. hortor). In superiore margine eiusdem paginae haec appicta sunt: 'Hec communia sunt activi passivique.' — Agglutinata fuit his membranis charta, literis saec. XV^mi inscripta, cuius fragmentum discerptum quod restat ad literas sacras spectasse videtur, cum de Herode rege sermo fiat, qui saltanti puellae caput Ioannis concesserit. Grammatica praecepta versibus tradita.

XX complectitur unum folium membraneum, saec. XV^mi (Sch. et R.), 32 fere centesimas latum, paulo minus 20 altum, et alterum folium valde mutilum, saec. XIV^mi, 21 fere c. p. altum, 7—13 latum. Maius illud fragmentum in duo folia octonaria complicatum quattuor paginas praebet grammaticis praeceptis inscriptas, ut: 'Em quarto dabitur, quinto [dabis] es, solet e dare sexto Primo plurali damus es qui vult sibi subdi Quartum cum quinto tribues erum genitivo Tertius et sextus semper formantur in ebus.' De minore fragmento sufficiant quattuor extremi versus unius paginae: 'Ast echatontarchus seu vis centurio centum Possidet ast mille que ciliarcha tenet Ecclesiae pater et princeps patriarcha vocatur Namque pater patrum dicitur ille pater.' Grammatica praecepta et vocabulorum interpretationes.

XXI. Duo folia membranea paulo plus 28 centesimas alta, 21—22 lata, hic illic lacerata, saec. XV^mi, multis compendiis scripta praecepta astronomiae tradunt. Quattuor paginarum binis columnis exaratarum nunc fere duae legi possunt. Quarum exemplum cum descripsissem et de argumento nihil collegissem, nisi ascensionum computandarum rationem tradi, Oppelium, collegam carissimum, mathematicum huius gymnasii, consului, qui anonymi praecepta secundum suae artis leges examinaret. Doctissimam eius disputationem integram exponere finibus huius libelli vetitus summam rei his verbis complector: Docet anonymus rationem, qua rectascensiones (sive differentias rectascensionum) cuiuslibet arcus ecliptices computes, si longitudo punctorum, quibus arcus utrimque definitur, Praecepta astronomica.

data sit. Rationem illam non ex ipsis mathematicae artis fontibus derivat, sed formulas praecipit ex eo genere, quo medici in sua arte utuntur. Tabellae numerorum, quae ad computationem ineundam opus erant, minimum quinque, ab his foliis absunt.

Carmen de diluvio orbis terrarum.

XXII^{tero} numero notatur unum folium membraneum 27 fere c. p. altum, 22 fere latum, vix dignum, cuius fiat mentio. Fuit quondam involucrum Anthologiae Graecae, ut ex inscriptione paginae aversae apparet. In adversa pagina homo saec. XVII? (Sch.), vel XVIII? (R.) heroo carmine invitis Musis diluvium orbis terrarum descripsit hoc fere modo: Heu prostrata iacent, superat furibunda marina Unda nec est spes ulla viris quia crimina tanta, Per vastos mundi tractus, fecere scelesta, Heu mihi, quam summos ponti fert causa dolores, Lumine cum cerno recto tot turpia membra; Quae prostrata iacent terris sine funere iusto, Ha mortale genus, ponti submergeris undis, Hei mihi, quot clades homines subiere superbi, etc.

Summarium membranarum supra propositum quod paulo accuratius confeci, duabus de causis factum scito, primum ut si qui cives benevoli in posterum huius gymnasii bibliothecae Klossii optimi exemplo munera similia vellent donare, se bene beneficia sua posituros esse tenerent, deinde ut omnes, quorum interesset, et intellegerent, quid in fragmentis illis lateret, et si quid dignum esse videretur, ut Dieffenbachio folium illud V, β, in vulgus edere possent. Sic vero habeas spernendas non esse ne eas quidem reliquias, quae iam ex integrioribus et melioribus libris in lucem emissae sint, cum eos, qui veterum scriptorum libros recte interpretari velint, haud raro nosse necesse sit, qualem certa quadam aetate librarii aut orthographiae aut ipsius scripturae usum secuti sint. Quod ut magis appareat, in medium iam proferam quosdam Ciceronis locos, quibus haud scio an nulla arte nisi palaeographiae subsidio adhiberi possit medicina. Sunt autem illi magnam partem difficillimi ac saepe a multis tentati. Quare si non omnia mea assensus eris, non mirabor equidem; nam tantum mihi non arrogo, ut vera ubique in tam dubiis rebus me protulisse contendam; immo verisimilia persequor, recentioris Academiae more aliis liberum arbitrium relinquens.

I. Exordiar igitur a verbis Lucilii (in Ciceronis lib. II de finibus c. 8, § 23), quae iam diu in desperatis haberi solent, nullam aliam ob causam, credo, nisi quod librarius suae aetatis pronuntiationem scribendo expressit. Cavillatur ibi Cicero Epicureos 'mundos, elegantis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantis cruditatem — — — — quibus vinum

Defusum e pleno sit hrysizon (hirsizon) (ut ait Lucilius), cui nihil
Dum sit vis et sacculus abstulerit,

adhibentis ludos et quae secuntur, illa, quibus detractis clamat Epicurus se nescire quid sit bonum; etc.' Luciliana ita scripsi, ut in optimis codicibus (A et B Baiteri, E Madvigii) exhibentur. hrysizon est in B et E; quod uncis inclusum adieci 'hirsizon' in

antiquissimo codice A; alii, quos sua quemque nota afferre nihil iuvat, 'hyrsizon, hisyrphon, hirsiphon, hirsyphon, hynimphon', unus codex 'hynim' et in margine 'tyrsiphoro' et 'oenophoro', praebent. Madvigius in editione sua e codicum vestigiis, aliorum editorum coniecturas ex parte secutus, haec finxit: quibu' vinum Defusum e pleno siet, † ir siphoue (ut ait Lucilius) cui nil Dempsit, vis et sacculus abstulerit i. e. quibus vinum e pleno vase defusum sit, cui nil ir (vola manus) siphove (vel fistula hauriendis liquoribus apta) demsit et (cui) vis (vires) sacculus abstulerit. Vinum igitur describere putatur poeta e pleno vase defusum, cuius vis nativa detrahendo et deplendo (sive siphone, sive vola) non sit ita vitiata, ut acescere coeperit, et cui per saccum lineum colato austeritas innata mitigata sit. Sed ipse Madvigius in annotatione fatetur, se Orellii coniecturam 'hir siphove' retinuisse, quia nihil haberet melius; tantum 'ir' pro 'hir' cum omnibus grammaticis, Charisio, Prisciano etc., scripsisse. In sententia displicere, quod 'ir' sive manus vola demere aliquid de vino dicatur, quippe qua, qui siphone utatur, nihil hauriat. Accedere aspirationem in omnibus codicibus additam, in coniectura illa neglegendam. Etiam 'cui' pro duabus syllabis a Lucilio positum offendere nec minus verba, 'ut ait Lucilius' tam longe ab initio inter duas eiusdem sententiae partes reiecta, non post primum membrum finitum, ut I de Div. c. XIV, 24 verba 'ut ait Pacuvius'. Postremo 'dempsit' pro 'dum sit' deteriorum codicum esse neque recte 'dempsit — abstulerit' coniungi, cum 'dempsit' pro 'dempserit' sensu praeterito dictum nusquam reperiatur. — Omnes vero illae difficultates tollentur, si verba Lucilii paucis mutatis ita scripseris 'quibu(s) vinum Defusum e pleno sit *chrysidio* (ut ait Lucilius), cui nil dum Dempsit vis, nil sacculus abstulit', sive ut versus ultimus concinnior reddatur: 'Dempsit sacculu(s) vis, nil abstulit'. Rationem brevissime reddam singulorum. 'hrysizon' quod est in duobus optimis codd. falsa pronuntiatione e 'hrysidion' oriri potuisse intelleges ex iis, quae Corssen (Ausspr. der l. Spr. I. p. 77 sq. et Beitr. zur l. Formenl. p. 486) exposuit. Vocem graecam χρυσίδιον facile in hrysidion a librariis potuisse corrumpi, concedes tu quidem, sed excusatione vix opus est, cum ipsi Graeci idem admiserint. Athenaeus (XI p. 496, e) 'ῥυσίδι σπένδων', e Cratini Νόμοις affert, cum 502, b idem in iisdem verbis χρυσίδι scripserit. Quod priore loco praeposuit Ῥυσις. φιάλη χρυσῆ, Θεόδωρος imitatur Hesychii glossa ῥύσις (sic) φιάλη χρυσῆ. — Atqui cum χρυσίδιον atque χρυσάφιον (cuius vestigia facile deprehendas in 'hirsiphon, hirsyphon,' v. supra) diminutiva sint vocum χρυσίς et χρυσός (-αφος), χρυσίς vero non minus quam alterum χρυσοῦ diminutivum χρυσίον (cf. Demosth. κατὰ Ἀφόβου p. 816, 22, et Cratin. ap. Poll. IX, 91) vas aureum significare possit, non miraberis Lucilium χρυσιδίῳ hoc loco vas vinarium, sive pateram, sive, ut glossa Gudiani 1[mi] interpretatur, oenophorum indicasse. Quod 'n' litera voci adhaesit, id aut ex vicinitate vocis 'ut' aut, quod magis probo, inde explicabis, quia interpretatio vocis peregrinae margini adscripta recto casu erat prolata. Hac vero voce 'chrysidio', in qua totius rei cardo posita est, confirmata,

nec opus erit difficillimis illis verbis 'hir siphove', nec aspiratio in omnibus codd. addita neglegetur, nec 'cui' iambica prosodia proferri necesse erit; interposita quoque verba post membrum sententiae finitum recte collocata erunt. Cetera magis arbitrio cuiuslibet relinquo, quamquam neque audacius utramque syllabam 'dum' meliorum et dem[sit] deteriorum codicum servasse neque temere Schuetzii exemplo 'abstulerit' illud ex vicinia proximi verbi 'dum *sit*' ortum, in 'abstulit' mutasse mihi videor. Hoc unum defendam, quod 'nil' ante alterum verbum scribens negationem huic membro tribuerim, cum Madvigius diserte contendat, 'editores fere omnes falsos esse, qui vires vini sacco fractas in vitio ponentes negativam hanc sententiam ecficere' studuerint. At licet verum sit castrationem, ut Plinius appellat, ad vini suavitatem necessario pertinuisse, tamen ex Horat. (Sat. II, 4, 54) verbis 'at illa Integrum perdunt lino vitiata saporem' efficitur, non omnibus vinis neque quolibet modo illud conducere. 'Vis' genetivus neminem offendet, cf. Schneider, Formenl. II, 1 p. 466.

II. Aliud vitiorum genus omnium frequentissimum ex scribendi consuetudine et literarum ipsarum formis quibusdam nascitur. Quo in genere primum exemplum ponamus verba Ciceronis Tusc. V, c. 27, § 78: 'Mulieres vero in India, quum est cuius (sic plurimi iique optimi codd., alii 'cuiusque' vel 'cuiusvis', unus 'alicuius') earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit; — plures enim singulis solent esse nuptae —: quae est victrix, ea laeta prosequentibus suis una cum viro in rogum imponitur, illa victa maesta discedit'. Ad haec verba, cum et Baiterus et recentissimus editor Seyffertus de difficultate illius lectionis nihil adnotaverint, neque vero mutaverint quidquam, recte Fleckeisenius (Progr. des Vitzthumschen Gymn. Dresden 1864) p. 49 sqq. interpretum animos rursus advertit. Quaerere enim licet, qui fiat, ut initio de '*cuius* earum viro' Cicero commemoret, deinde ipse adiciat 'plures enim singulis solent esse nuptae', in extremis autem verbis 'illa victa maesta discedit' iterum unius mulieris mentionem faciat, ubi plures exspectari oportebat. Expedire igitur utramque difficultatem studet Fleckeisenius ita, ut illic pro 'cuius' Geelii coniecturam secutus scribat 'communis', hic cum Scheibio coniciat 'imponitur; turba victa maesta discedit'. Neque enim esse dicit, quo pronomen 'illa' vulgo retentum ab ipso omissum recte referatur et priorem syllabam novae vocis 'turba' facile ob similem proximi verbi exitum interire potuisse, ita ut 'ba', (sive 'ua' frequenti illa literarum *b* et *u* permutatione ortum), quod solum superesset, in 'illa' mutaretur. De ipsa hac loci illius emendatione postea H. L. Schmitt (Jahn, Neue Jahrb. für Philol. X, (89), 1864, p. 471 sq.) iudicavit. 'Communis' pro 'cuius' haud dubie veram esse correctionem dicit; alterum illud '*turba* victa maesta discedit' improbat, cum hic *plures* mulieres sive reliquas, non 'multitudinem' sive colluviem quandam mulierum commemorari oportuerit. Mavult ex 'illa victa' efficere 'relictae' sive 'reliquae victae' et fingit sibi ceteras mulieres in foro, ubi

iudicium factum erat, relictas, dum illa victrix abducitur et in rogum imponitur. Idem putat Valerium Maximum II, 6, 14 sensisse, qui hanc de Indicis mulieribus narrationem ex Ciceronis libris in suos commentarios transtulit et in extremis verbis pro 'discedit' posuit 'remanent.' Qua in re egregie fallitur; scripsit enim Valerius '*in vita* remanent', non in foro. Immo ipse Cicero verbis 'prosequentibus *suis*' significare videtur, id quod ex se intellegitur, non solos propinquos victricis mulieris, sed totam familiam viri mortui funus concelebrasse. — At ne plura, — 'cuius, cuiusvis etc.' quae vulgo leguntur, ad rem accommodata non sunt, 'nam non est (Ernestii haec verba sunt) unius earum vir plurium. Hoc vero vocabulo eiecto (idque fiet, si 'communis' pro 'cuius' scripseris) loci sententia pervertitur; quasi vero unus sit vir *omnium* mulierum (Indicarum).' Verba scriptoris sana esse nullo modo poterunt, (nam interpretandi artificia, quibus rem absolvere frustra studuerint Hottinger ad Oliveti eclogas p. 220, Kuehner in editione sua, Wolf in scholis suis huc afferre longum est), nisi pro 'cuius' vocabulum substitueris, quo plures mulieres uni viro nuptae possint quidem significari, nondum vero certo indicentur, cum alterum hoc scriptor infra demum verbis: 'plures enim singulis solent esse nuptae' fecerit. Est vero ea vox dativus indefiniti pronominis 'quibus'[3]), quod quomodo in 'cuius' depravari potuerit, jam explicabo. 'u' literae cum 'b' commutatae exempla non modo in antiquissimis codd. saepissime, ut in Vaticano palimpsesto librorum de republ., v. Osanni editionem praef. p. XVII, sed etiam multis saeculis post, ut in Gudiani cod. saec. X vel IX 'novi' pro 'nobis' Seyffert p. 191 (107, 20), in Mediceo cod. epistoll. ad familiares saec. XI (v. lib. XI, 20, ubi M. siui, aliquot codd. sui pro sibi scripserunt), in cod. P(arisino) orationis pro Balbo c. 22 § 51 ignouilium pro ignobilium, haud raro inveniuntur (cf. indicem antiquae vel barbarae scripturae apud Chassant Dictionnaire des abréviations latines etc. p. 164: 'orvis' pro 'orbis', 'oviit' pro 'obiit' et contraria permutatione p. 166 'sibe' pro 'sive'). Quem scribendi morem secutus librarius quidam ex 'quibus' finxit 'quiuus' quod cum 'quuius' esse videretur, alius scripsit 'cuius', item atque Leidensis codicis scriptura (de legg. II, 12, 29; ed. Halm p. 889, 18) 'quuique' ab aliis in 'cuique', ab Halmio in 'quoique' mutata est. Hanc enim consuetudinem, ubicunque 'quu' scribendum fuit, aut 'quo' aut 'cu' exarandi ex antiquitate traditam, v. Corssen, Ausspr. I, 35, etiam librarii diu servarunt, id quod vel ex nostris copiis confirmare possis. Ciceronianum enim fragmentum (v. supra indicem fragm. ad n. I) semper fere, ut Halmius edidit, praebet 'cum' pro 'quum', (aeque ac Senecae codex pag. IV, v. 13; l. II, c. 24. 'locuntur' pro 'loquuntur'); tribus locis Cato § 84

[3]) Breviorem formam 'quis' eodem sensu ut sumas fieri quidem possit, cum literae a 'quuius' non valde aberrent et 'aliquis' in libris interdum cum 'aliquibus' commutetur, cf. Plin. h. n. XIII c. 16. § 31 (103) sed longior forma frequentior atque a 'cuius' etiam propius abesse videtur.

et Lael. § 5 est 'quom, quoius, quoius', nusquam 'quum' vel 'quuius'. Dativum vero 'quibus', cuius originem facillima literarum permutatione e 'cuius' duximus, etiam a sententia ipsa minime abhorrere arbitror. Nam 'quum est *quibus* earum vir mortuus' haud aliter dictum est atque Ciceronis illud (ep. ad Att. I, 6, 2) 'Pater *nobis* decessit a. d. IIII Kal. Decembres'. Restat, ut de extremis verbis narratiunculae paucis iudicium faciam. Pro 'illa victa maesta discedit' scribendum est 'illae victae maestae discedunt', id quod non solis literarum permutationibus probare studeo, quamquam litera 'a' et 'ae' in ipso Tusculanarum disp. codice Gudiano centies confunduntur, ut (cf. Seyff. collationem eius libri) p. 122, 33 insania pro —ae; 103, 26 contractiunculae pro —a; 107, 20 . . . tiabare pro . . tiebare; 103, 13 planae pro plenae; p. 15, 13 disciplina pro disciplinae etc. nec verbi numerus e plurali in singularem mutatus a codice abest, cf. ibid. p. 59, 10 'differt' pro 'differunt'. Veram causam numeri confusi jam Schmitt l. l. recte vidit. Cum enim in verbis, quae proxime antecesserunt, de victrici uxore sermo factus esset, neglegens quidam librarius huic alteram illam, *cuius* vir esset mortuus (nam 'si cuius' pro 'si quibus' supra iam scriptum invenit) opponendam esse duxit et pluralem numerum in singularem mutavit. Quid quod in codice Leidensi 'illa *alia* victa maesta discedit' diserte exaratum est, opinor, ut altera illa significaretur. Diligentius sententiam Ciceronis Valerius exposuit l. l. his verbis: superat*ae* cum tristitia et maerore in vita *remanent*. Tantum vero abest, ut pronomen *illae*, quod Valerius omisit, Ciceroni abiudicandum sit, ut alacritate quadam animi spretas illas scriptor monstrare videatur. Recte enim huic victrici, quam in rogum impositam esse modo dixerat, opponit illas, quae, cum in certamen cum ea venissent, causa ceciderant. Illud enim in superioribus traditum esse nemo negabit. — Literarum formis paulo insolentioribus sive compendiariis quamvis saepe verba scriptorum depravata sint, tamen difficilius hac in re iudicabis, nisi ipsum codicem, cuius verba emendaturus es, manibus tuis tractaveris. Quare duo exempla huius generis quae proferam, magis ipsa sententia, quam palaeographiae artificiis tibi commendata velim. Priorem locum (ex orat. pro L. Corn. Balbo c. VI, 14) iam Madvigius (opusc. academ. II p. 20 sq.) examinavit, cuius disputationem ego non repetam, sed verbis, qualia ille constituit, hic propositis, unum mendum, quod ipse luculenter demonstravit, corrigere studebo. 'Gratificatur mihi (inquit Cicero) gestu accusator: inscientem Cn. Pompeium fecisse significat. Quasi vero † *levius* sit, cum in tanta re publica versere et maximis negotiis praesis, facere aliquid, quod scias non licere, quam omnino non scire, quid liceat.' Si igitur Madvigius oratoris sententiam his verbis recte explicavit: 'Habet aliquam excusationem Ciceronis, oratorie iudicantis et ad tempus, sententia is, qui, quum in maximis rebus et difficillimis versatur, in una aliqua re legum vinclis se exsolvit', concedas necesse erit, *levius* in hoc orationis contextu admitti non posse, sed aut audaci medicina in loco desperato '*non levius*' scribendum, aut ex ipsius vocis 'levius' literis novum

vocabulum idque rei consentaneum esse eliciendum. Pono equidem 'secius sive setius'; 'quasi vero secius sit' i. e. quasi pravius fecerit, magis a recta via aberraverit, qui maximis rebus occupatus una in re culpam levem admiserit, quam qui omnino non sciat, quid liceat. 'c' literae cum 'u' permutatae exempla, ut 'uertebatur' et 'certabatur', 'reuocant' et 'recoquunt' v. Madv. Em. Liv. p. 458 et Bentl. ad Hor. Carm. I, 35, 38; 'u' et 't' commutatum, id quod rarius fit, v. Cic. de republ. I, 1 extr.: 'toluptatis' pro 'uoluptatis', ed. Halm. p. 760, 12. 'Sevius' vero ubi primum scriptum est, litera prima 's' eo facilius in 'l' mutari potuit, quo similior utriusque literae forma certa quadam aetate fuisse videtur, ut in Ciceroniano fragmento (supra n. I) II, 18, v. 7., de amic. § 5 'simus' in verbis 'in hoc libro ad amicum amicissimus' facillime legi potest 'simul', cum levi tantum apicis inclinatione sibilans litera a liquida differat neque semper apicis illud discrimen in litera 's' retineatur, cf. Kirchner, Novae quaest. Horat. Numburgi 1847 tab. II, 12ª, v. 1 in v. mecenas. — Compendio scribendi corrupta esse videntur haec verba Ciceronis (Academ. II § 79, 80). 'Igitur semper auctorem habes eum, qui magno suo periculo causam agat. Eo enim rem demittit Epicurus, si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli unquam esse credendum. 80. Hoc est verum esse, confidere suis testibus † *et inportata* insistere!' Ubi, quod pro 'inportata' scribere solent 'importune' ipse Halmius in editione Orelliana altera improbat, aliud non profert. Equidem primum, cum iam Madvigius in ep. ad Or. recte monuerit, *et* ante 'inportata' tertio loco positum vitiosum esse, literam 's', quae proxime antecessit, bis scribendam, neglegentia librarii semel omissam esse statuo; deinde 'setin' sive per compendium scriptum setĩ ('set' 'in' ita scribi potuisse docet compendium praepositionis apud Waltherum lex. diplom. 162 v. 22) nihil esse nisi falsam interpretationem vocis 'sententia' per compendium 'señ' scriptae, cf. Waltherum l. l. p. 363, 15 et Chassaut, Dictionnaire des abréviations. Paris 1866, p. 89, col. altera extr. Quod vero sequitur, '*portata*' facillima literarum transpositione mutabis in 'prolata', cf. similiter confusa, ut pras et pars, patre et parte, prespicuum et perspicuum apud Seyffert. comm. crit. in Tuscul. (ad I, 35, 86). 'Sententia prolata insistere' igitur scribamus. Ita et asyndeton tertio loco recte efficietur et loquendi modus neque a re, neque a scriptoris consuetudine alienus. (cf. Academ. II, 29 § 94: sed negas te usque ad obscura progredi, inlustribus igitur rebus insistis.)

III. Certius iudicium facies de iis vitiis, quae ex *omissa* aut litera aut syllaba aut voce nata sint, quum hoc peccandi genus omnes fere omnium aetatum librarii admiserint, neque singulos locos e sui quemque librarii more iudicare debeas, modo ipsius sententiae natura emendationem tuam ferat. Literae unius omissae exemplum affero Ciceronis verba (de legg. I, c. 19 § 50: 'Innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem bonum colligant, erubescunt'. Ita Madvig. opusc. acad. altera p. 143 interpunxit, cuius

sunt verba, quae uncis inclusa ad Ciceronis sermonem adicio. (Aptissime ipse rubor ingenuus in ista ratione captatio famae fieri dicitur. Tum non minus recte additur:) 'Pudet iam' (si haec vera sunt) 'loqui de pudicitia' (quae dissimulatio est impudicitiae). 'Ac me istorum philosophorum pudet qui † ullum iudicium vitare nisi vitio ipso mutatum putant.' Ultimae enuntiationis formam ex cod. Haun. scriptura Madvig. ita constituit 'qui ullum iudicium *pertinacius* vitio ipso *vitandum* putant'. (Hanc demum veram esse et ad ea, quae sequantur, accommodatam sententiam, non iudicia, sed ipsa vitia esse timenda. Neque enim Epicureos vitium tum demum, si iudicio iam notatum esset, fugiendum putasse, sed eo esse vitium, quod metum et periculum iudicii futuri afferret.) Quae quamquam egregie disputata sunt, tamen audaciore coniectura niti concedes, si optimorum codd. lectionem cum Madvigiana ratione contuleris. Leidenses A. B. apud Halmium, quibuscum Haun. consentit, ita: 'qui (que corr. A. B. et Haun.) ullum (illum B.) iuditium (iudicium B.) vitare nisi vitio ipso mutatum (nutatum B¹.)'; codex H Leidensis Heinsii: 'qui nullum iudicium vitare nisi uitio ipso notatum'; de 'pertinacius' et 'vitandum' nihil traditur. Quidni igitur et sententiam a Madvigio egregie expositam et integram codd. optimorum scripturam servemus? Unam liceat addere literam 'i', ita ut Ciceronem scripsisse putemus: 'qui ullum iudicium vitiare nisi vitio ipso mutatum putant', sive ut meis verbis idem repetam 'qui putant ullo aliorum iudicio famam suam contaminari posse, nisi ipsi vitioso iudicio', i. e. vitia virtuti praeferentes, se contaminaverint. Vitiandi verbum ab optimis scriptoribus, ut Cicerone et Livio, vulgo ad actorum publicorum, non ad morum vel famae corruptionem significandam usurpari non me fugit illud quidem, sed et ipsius nominis, a quo verbum ductum est, usus et nova vox vitiositatis quod omnium vitiorum nomen esse Cicero voluit (Tusc. IV, 15, 34), facit, ut in verbis illis supra positis a Cicerone acute dictum esse putem iudicium aliorum nullum te vitiare posse, nisi ipso tu vitio mutatus sis. — Sequitur exemplum e Ciceronis orat. pro S. Rosc. Amer. c. 5, § 11, unde luculenter demonstrari possit, quantum saepe damnum verba scriptorum contraxerint e parva linea vel apice omisso. Hortatur Cicero iudices, in primisque Fannium praetorem, ut post Sullani temporis perturbationes crudelissimasque caedes severa iudicia fiant et sententia, quam in verbis statim ponendis inesse conicias, haec fere est, ut ait Or. ed. altera Turici 1837: Omnes hanc quaestionem te praetore manifestis maleficiis quotidianoque sanguini finem et modum tandem sperant facturam. Halmius in editione Orell. 2da 1854 verba, de quibus disputabo, sic expressit: 'omnes hanc quaestionem te praetore manifestis maleficiis quotidianoque sanguine † dimissius sperant futuram'. Ex annotatione quaecunque ad codicum scripturam cognoscendam necessaria sunt, adicio integra: *dimissius*] sic (vel dimissuis) G (codex Helmstadtiensis); M(onacensis), C. (Oxoniensis) v. (ed. Veneta a. 1472); dimissui cod. St. Victoris; demissius 4 Oxonienses. 2 Parisini, a. (Ascensiana), c. (Cratandrina); dimissm Par. 1. 4. 7; dimisso Sch(oliasta Gronovianus) v.

ed. Orell. V, 2, p. 427; ex Lag.(omarsiniis) habet 26. dimissus; reliqui dimissius, demissius, demissus. Vulgo (item in Orelliana ed. priore) ex interpolatione Naugerii legitur: 'te praetore de manifestis m. q. sanguine haud remissius sperant futuram', at neque 'te' (sic, non 'de' Halm. l. l.) neque 'haud' in ullo codice inventum est. — De coniecturis, quarum uberrima seges e locis mutilatis, ut stolones ex detruncatis arboribus, nasci solet, duas affero, unam Madvigii 'hanc quaestionem te praetore e manifestis mal. quot. sanguine dimissui sperant futuram' h. e. liberationi, ut aliquando ex his malis dimittamur et exsolvamur; alteram Halmii in editione Weidmanniana 1856: 'Omnes hanc quaestionem te praetore in manifestis maleficiis cotidianoque sanguine severissimam sperant futuram.' Madvigius solito acumine ille quidem usus est. Vocem enim semel apud Charisium grammaticum (p. 170 P. p. 189 ed. Keil; lib. II, 14, 23) inventam: 'Inter adverbia quidam haec posuerunt, quae etiam apud veteres observata sunt, velut translatui *dimissui* receptui ostentui' etc. ita ad Ciceronianorum librorum scripturam abhibuit, ut probabilis sententia effici videretur. At ipse iam animadvertit, ea quae dativo illi similiter formarentur, fere sic cum verbo 'esse' coniungi, ut passive de subiecto intellegerentur, ut 'esse despicatui, irrisui' etc. Cum vero ab hoc de quo disputamus loco alienum sit dicere quaestionem ipsam e manifestis mal. quot. sanguine dimissam fore, Halmius l. l. alia posuit, quibus tamen huic loco non satisfieri ipse ingenue fatetur. Verba enim, quae finxit et a librorum vestigiis longius absunt et similia repetunt illis, quae Cicero modo dixerat: 'vides quae sit omnium . . . cupiditas, ut acria ac severa iudicia fiant'. Equidem arbitror, vocem 'dimissius' et quae similia in libris legantur orta esse ex dimiss'ius sive dimisſ ius vel per me licet ex 'dimissumi'. In omnibus enim his compendiis inesse potest id, quod Cicero scripsit, 'dimissum ius'. Similiter eandem vocem in alius vocabuli exitum mutatam ('cum ius' in 'cuius') vide orat. pro Balbo c. VI, § 14 coll. annotatione Baiteri ad l. l. et Madvig. opusc. acad. II, p. 22. De compendiis, si operae pretium erit, cf. Wattenbach, Beitr. zur lat. Palaeogr. p. 31 med., Walther, lex. dipl. p. 239, 6, et Seyffert, ed. Tuscul. p. 195 ad 131, 2; p. 199 ad 157, 15. Scholion Gronovianum: '*Dimisso* i. e., prae contempto, relicto habitorum' quod a ceteris libris longe dissentire videtur, corrigo '*dimissum* ius pro contempto, relicto habitum'. Cum enim 'id est' saepe .i. vel i. scriberetur (v. Wattenb. l. l. p. 29, Walther ad voc., haud pauca denique in fragmentis librorum, de quibus supra egi, exempla) facillime 'id est' legi potuit, ubi revera erat i' i. e. ius. Sed fontem tantum corruptionis adhuc monstravimus, totius loci verba nondum redintegravimus. Quae si ita constituimus: 'Omnes hac quaestione, te praetore e manifestis maleficiis quotidianoque sanguine dimissum ius sperant futurum' vix mihi exprobraturum aliquem spero, quod Madvigium et alios secutus scripserim 'te' ante 'praetore' et 'e' post eandem vocem. Illud enim sensus postulat, hoc ob exitum similem antegressi vocabuli facillime interire potuit. Restat igitur, ut rationem reddam accusativi 'hanc quaestionem'

in ablativum, et feminini 'futuram' in 'futurum' mutati. Ad utrumque probandum ne opus quidem erit afferre librariorum morem aut 'n' et 'm' literas linea supra vocem posita indicandi, aut literas 'uram', ut in voce 'naturam', compendiis scribendi; ipsa res docet, cum corruptis vocabulis 'dimissum ius' subiecto, quod vocant, enuntiatio careret, facillima mutatione et 'quaestione' in 'quaestionem' conversum et cetera ad hanc vocem accommodata esse. Quid quod iam Mathiaeus, permotus ille quidem longe diversis causis, in hoc ipso Ciceronis loco 'futurum' scripsit, qua de re vide Haas. ad Reisig. annot. 275. Meminerat enim ille praecepti Gelliani (noct. Att. I, 7), neutra participii futuri ut 'futurum, dicturum etc.' apud optimos scriptores verbi indefiniti loco esse 'neque numeris neque generibus praeservientia', ut in Ciceronis V^ta^ oratione in Verrem 'hanc sibi rem praesidio sperant futurum' vel in Claudi Quadrigarii tertio annali 'Dum ii conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum'. Extremo autem exemplo utor non ad Gellianum praeceptum confirmandum, nam illud nunc quidem nihil ad nos, sed ut demonstrem ad infinitivum passivum futuri exacti significandum cum participio perfecto non magis 'fore' quam 'futurum' coniungi posse. — Syllabae neglegentia librariorum vel propter compendium male intellectum omissae exemplum addituro mihi in mentem venit loci (de Fin. V, c. 9 § 26), ubi Piso sive Antiochus demonstrat, qui sint summi fines homini expetendi. Quam in rem antea dixerat § 25: 'Quoniam sua cuiusque animantis natura est, necesse est finem quoque omnium hunc esse, ut natura expleatur — nihil enim prohibet quaedam esse et inter se animalibus reliquis et cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis —, sed extrema illa et summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta et dispertita sint et sua cuique propria et ad id apta, quod cuiusque natura desideret.' Quae postquam etiam accuratius in § 26 explicavit his verbis: 'commune animalium omnium secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit e natura, aliud bovi, aliud homini et tamen in omnibus summa communis,' idem transfert ad 'omnes res, quas natura alit, auget, tuetur: in quibus videmus ea, quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae ad vivendum crescendumque valeant, ut suo genere perveniant ad extremum, ut iam liceat una comprehensione omnia complecti non dubitantemque dicere omnem naturam esse servatricem sui idque habere propositum quasi finem et extremum, se ut custodiat quam in optimo sui generis statu ut necesse sit *omnium rerum, quae natura vigeant, similem esse finem, non eundem.* Ex quo intellegi debet homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere, quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente.' Longiorem sententiarum seriem huc afferre oportuit, ut intellegeretur summam argumentorum in eo esse positam, ut suus cuique naturae finis proprius, ab aliarum naturarum discretus tribueretur. Quod quamquam in verbis, quae supra distinctius exaravi, inesse posse concedo, tamen certius, opinor, significatur his verbis: *ut necesse sit omnium rerum, quas*

natura alia ingenerat, similem esse finem, non eundem. cf. quae supra dicta erant: 'ut aliud equo sit e natura, aliud bovi, aliud homini' et de rebus, quas natura ingenerat, similia supra de stirpibus dicta, 'ea quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere sibi per se etc.' Causa autem, cur mutata velim, quae Madvigius, Baiterus, alii probaverunt, non in sententia potius sita est, quam in scriptura optimorum librorum. Palatinus B enim (v. Baiteri annotationem): 'natura al' ingerat (om. vigeant)'; Erlangensis cod. vero: 'natura al' (non vel, ut Madvig. putabat) ingerat uigeant'. Fuit sane cum crederem 'ingerat' sive 'uigerāt' corruptum esse ex uigeāt, similiter atque in Academ. II, 25, 79 'iaceat' e codd. Reg. et Cantabrig. Madvigius et Orellius receperunt pro eo, quod in ceteris codd. inest 'lacerat' cf. alia exempla literae r mediis vocabulis insertae apud Seyffert. comm. ad Tusc. p. 71, § 4. Ita 'al' a librario quodam e glossa in orationis contextum translatum esset et significaret '*alii*'. At pro 'alii' aliis vulgo compendiis utuntur, cum al' = *alia* et a Spaldingio ad Quintiliani instit. X, 1, 24 et a Chassaut, Dictionn. des abrév. p. 4 confirmatum sit. Quod vero 'ingerat' interpretor 'ingenerat', non miraberis, si aut compendia vocum 'generatur (g̃t̃)' et generati (g̃ti) apud Waltherum p. 147, 5. 15 aut aliorum vocabulorum similia compendia apud Seyff. comm. ad. Tusc. pag. 58 § 12 contuleris. Ceterum pronominis relativi forma, praesertim cum eius compendia antiquo tempore (ante saec. IX Wattenbach l. l. p. 26) non satis distincta essent, verbum, quod semel mutatum erat, facile est secuta.

IV. Literarum, syllabarum, vocum falso *additarum* exempla, singula generis cuiusque, sequantur. *Literam* additam arbitror in his verbis Ciceronis sive C. Caesaris (de orat. II, 61, 250): "Ex ambiguo dicta vel argutissima putantur, sed non semper in ioco, saepe etiam in gravitate versantur. Africano illi superiori coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, cum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus, 'Noli mirari, inquit, si non convenit; caput enim magnum est': laudabile et honestum. At ex eodem genere est '*Calvus satis est, quod dicit parum.*' Ne multa: nullum genus est ioci, quo non ex eodem severa et gravia sumantur." Addo ex annotatione Ellendtii varias lectiones, quae ad rem pertineant: 'est calvo satis' Lg. 2; 'calvo satis est' 36; 'est' om. 5. Dein 'parumne' Gu. 1 Lg. 65. 70. Steph. Vict. al.; 'paterne' Lg. 2. 36. — Jocosum ambiguitatis genus in verbis de Calvo factis facile agnosces, sed quid acuminis in dicto insit, interpretes dissentiunt. Ac primum quidem secum dissident in hac re, quod alii, ut Ellendt et Orelli — Baiter, voce 'parum', alii, ut Piderit in editione libr. de oratore voce 'est' ambiguum sermonem finiri statuant. Equidem facere non possum, quin hic cum illis contra egregium hunc rhetoricorum Ciceronis librorum interpretem faciam. Nam si quid video, verba 'quod dicit parum', si a C. Caesare addita essent ad dictum, quod antecessit, interpretandum, praeterito tempore proferenda fuerunt. Licet enim fingas Calvum illum, aequalem C. Caesaris, ipso Tusculanae disputationis tempore vixisse, ad ex-

plicandam rem praeteritam tamen illud tempus retinendum erat, quo res facta erat, cf. c. 69, § 245. In ipso sententiae acumine explicando Piderit sequitur Henrichsenum [cui 'calvus' non proprie solum, sed etiam tralate dici posse videtur, velut 'calva oratio' pro 'ieiuna'], (Ellendt.). Quidni malumus animo effingere, Calvum quendam, qui in foro, cum lis esset de pecunia solvenda, aut sibi aut reo, quem defendebat, parum esse dixit, quod adversarius promiserat, aut ad id tempus solverat. Quem cavillans adversarii patronus, Calvo, inquit, satis est, quod parum (esse) dicit. In ambiguitatem Calvi nomen convertitur, quod recte responderes calvo homini, qui parum capillorum sibi esse quereretur. 'Calvus non esses, nisi parum capillorum haberes', sive 'Calvo satis est, quod parum ipse dicit', ceteri calvo homini satis esse ducunt. Hunc interpretandi modum si probaveris, vix opus erit addere pro 'Calvus', quod vulgo in editionibus legitur, e codd. Lag. 2 et 36 'Calvo' esse restituendum, literam 's' propter simile initium vocis 'satis' bis scriptam et huc translatam, deinde antiquiorem formam 'Calvos' in vulgarem 'Calvus' esse mutatam. — Additam *syllabam* deprehendisse mihi videor (de nat. deor. II, 146) in verbis: 'Auriumque item est admirabile quoddam artificiosumque iudicium, quo iudicatur et in vocis et in tibiarum nervorumque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio et vocis genera permulta: canorum fuscum, leve asperum, grave acutum, flexibile durum, quae hominum solum auribus iudicantur. *Nariumque item et gustandi et † parte tangendi magna iudicia sunt.*' Sic verba extrema Baiterus in editione typis excudenda curavit. In annotatione haec addit: '*gustandi magna* (mediis omissis) C. i. e. cod. Leidensis Heinsii saec. XII; — *et parte* A i. e. cod. Vossianus saec. XI; B i. e. cod. Vossianus saec. XII; E i. e. cod. Erlangensis saec. XV; P. i. e. cod. Palatinus perantiquus: *et arte* (litera ante *arte* erasa) V. i. e. cod. Vindobonensis saec. X^{mi}, fort. recte, ut *arte* (adv.) *tangere* similiter dictum sit atque *arte complecti* de divinat. I § 103; *pariter et* O(rellius)'. Schoemannus Orellii lectionem secutus de librorum varietate tacuit. Neque nego equidem recte *pariter et* dici posse, at iam Baiterus hoc improbasse videtur, cum A. B. E. P. inverso ordine *et parte* scriptum habeant, et antiquissimus omnium codicum *et arte* praebeat. Quam ipse proximae huius lectionis interpretationem conatus est collatis verbis de divin. I, 103, ubi Paulus Aemilius Tertiam filiolam propter boni ominis vocem, quam extulerat, artius complexus esse dicitur, eam veram habere nequeo. Ab eo enim, quod hic Cicero agit, ut demonstret subtilius multo iudicium sensuum homini esse quam bestiis, illud 'arte complecti' valde abhorret. Tamen antiquissimi codicis scripturam et ipse paucis mutatis teneo. *Arte* enim *tangendi* corruptum esse arbitror ex 'atretandi' i. e. *atrectandi* sive *attrectandi*. Simplicem literam 't' pro duplici in eadem voce 'atrectatu' scripsit librarius Gudiani cod. (Tuscul. II, § 50, cf. collat. codicis apud Seyffert. p. 183 ad p. 65, 31). Literae 'r' transpositae exemplum supra vidimus in 'portata' pro 'prolata' multaque similia, ut 'patre pro parte,' 'pras' pro 'pars'

collegit Seyffert comm. crit. ad Tusc. pag. 29 ad I, 35, 86; literae 'c', praesertim ante 'q' et 't' vel additae vel omissae, exempla idem l. l. ad I. 2, 3 pag. 4. 5 attulit. Syllaba autem 'gen' in corruptum illud 'artetandi' inseri facile potuit et ob totius loci rationem, quae sensum tangendi hic indicari docet, et ob compendia, per quae hanc vocem scribere solebant, cf. Walther p. 393, 4. 5 tâ² et t@² = tangitur, v. 27 t@ᵗ = tangit. Sunt quidem compendia illa de libris saec. XV^mi deprompta, sed iam multo ante syllabis insertis vitia id genus nata esse multis locis codicum Regii et Gudiani saeculorum IX^ni et X^mi docuit Seyffert comm. l. l. p. 117 ad V, 41, 120, ut *naturam* pro *natam* (cf. eundem comm. p. 58 init.), *evidens* pro *edens*, *elevatus* pro *elatus*, *complectitur* pro *completur* etc. etc. Quibus addere licet exemplum Ambrosiani palimpsesti a Maio editi comm. in orat. p. Archia 'agitatur' pro 'agatur' pag. 354, II, 1 ed. Orell. coll. Madvig. opusc. II p. 317. Verbum attrectandi autem non minus ad sensum tangendi referri posse videtur quam tractandi vox, quam non modo facultati videndi oppositam invenies de rep. I c. 10, pag. 33, sed etiam cum ceteris sensibus conjunctam Tusc. V, 111 c. 38 'ut ea, quae gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur'. Quid quod alio composito eiusdem verbi Cicero simili modo utitur (Tusc. III, 15, 33): 'impellit (ratio de Epicuri sententia) rursum et incitat ad conspiciendas totaque mente contrectandas varias voluptates', ubi voluptates intimo pectore fruendas et quasi tactu sentiendas intellegi facile cognosces. Quin etiam voluptarius quidam sensus vocis, non dico obscenum illum, qui vulgo inest, ab Epicureorum ratione non abhorruerit, quamquam latius attrectandi pariter atque tangendi significationem patere ostendunt verba Plancianae orationis 12, 29: 'Facilis est illa occursatio et blanditia popularis: adspicitur, non attrectatur: procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur.' Quod in reliquis codd. praeter V in loco, de quo nunc disputamus, legitur 'parte[c]tan(gen)di', ex alia scriptura similis significationis 'pertractandi' duci quidem possit; magis genuinam illam non putaverim, cum usus huius vocis, ut e Paradox. V, c. 2, § 38 cognoscitur, paulo aberret.

Postremo vocis falso additae exemplum affero locum in scholis tam saepe tractatum, ut recte mireris, vitium iam notandum adhuc interpretum aciem effugisse. In Ciceronis verbis (orat. 1^mae in L. Catilin. c. 2 § 5: 'Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat.' iam pridem me offenderat negatio repetita 'ne non', cum, quo modo recte ita posset dici, non intellegerem neque exempla cumulatae sive abundantis negationis ab Haasio ad Reisigii schol. de ling. lat., annot. 406, Zumptio, aliis collecta simile quidquam continere mihi persuadere possem. Quare ante hos quattuor fere annos laetus animadverti, Metzgerum, doctissimum virum, in annal. Jahn. vol. 87 et 88, fascic. V, mensis Jun. 1863 p. 343, huius difficultatis mentionem fecisse. Ille enim l. l. ita: Cat. I, 5 wäre eine kurze Bemerkung erwünscht, da der Satz 'erit ve-

rendum mihi ne non etc.' für das deutsche Sprachgefühl etwas Fremdartiges und Dunkles hat, etwa: 'man denke sich *non hoc . . . . quam* als Parenthese, so wird der Sinn dieser Stelle keine Schwierigkeit darbieten' oder 'ne non hoc etc. steht für: ne non (= ut) boni dicant, sed potius ne dicat quisquam etc'. — Sed re diligenter explorata vidi non illustrari interpretatione illa verba Ciceronis, sed etiam obscuriora fieri. Non Germanorum usus loquendi, sed ipsa scriptoris sententia obstat quin negationes illas intellegamus. Quae enim dicere voluit orator, aut ita proferri oportuit: 'verendum mihi ne non potius hoc omnes boni *crudelius* a me quam quisquam *serius* factum esse dicat', aut: 'verendum mihi ne hoc potius omnes boni *serius* a me quam quisquam crudelius factum esse dicat. Maior autem vis in *hac* sententia inest eaque est simillima verbis (Cat. II c. 7 § 15) 'multoque magis illud timeo, ne mihi sit invidiosum aliquando, quod illum emiserim potius, quam quod eiecerim', ubi item negatione addita dici potuit 'quod illum non eiecerim potius quam emiserim.' Itaque hic non quaeritur utrum negatio simplex an duplex rectius habeat, sed utrum veram sententiam probemus an falsam. Falsam autem eo facilius improbabimus, cum illud 'non' ante potius omissum sit in B, q, x et sex aliis codd. a Lagomarsinio collatis. Optimi omnium quidem illi fuisse non videntur neque numerus eorum comparari potest cum reliquis Ciceronianis, quibus accedit lectionis varietas apud Quintil. IX, 3, 19: *ne non hoc.* Turic. Flor. *nec non h.* Guelf. Camp. *ne non* cum Goth. Voss. 2 et edd. ante Gryph. — Sed primum verum est, quod Madvigius opusc. II p. 330, 331 dixit: 'hae (Catilinariae) orationes, quae inde ab rhetorum et grammaticorum aetate in scholis regnarunt, adeo saepe transcriptae sunt, ut codices etiam perantiqui tamen multo pluribus gradibus ab origine remoti sint quam in aliis multis orationibus eiusdem aetatis codices, pluresque iam susceperint errores. Omnium (igitur) qui recentissimam depravationem aetate excludunt, testimonia conquiri et comparari debent.' Deinde si recte intellego Spaldingii annotationem ad Quintiliani l. l. supra accurate expressam, Guelf. Camp. Goth. Voss. 2 et edd. ante Gryph. non quidem aeque ac novem illi libri Lagomarsinii 'non' omittunt, sed ut cod. l. apud Halmium in ed. Orell. 2da, 'hoc' non exhibent. Atqui illud ipsum pronomen, quod Halmii ed. Orelliana 1854 ante 'potius' collocaverat, quodque eiusdem editio Weidmanniana 1856 post 'potius' inseruit, in ipsis codd. mirum quantum iactatum sit. Ita enim Halm. ad l. l.: '*hoc potius* C e o x y z Lg. 50. 57 et Quintil. codd. optimi: *hoc* om. l; habet post *boni* r; *potius hoc* R.' Incertam igitur errasse puto hanc vocem, postquam in eius locum adulterina vox 'non' se intulit. Litera 'h.' enim apice vel puncto adscripta est = hoc, v. Chassaut l. l. p. 37; cum vero 'h' et 'n' literae haud raro ob formas similes permutatae sint, cf. Wattenbach l. l. p. 14. 15 et 'non' saepissime sola litera 'n' parva lineola addita scripta sit, fieri potuit, ut pronomen primum bis scriberetur, deinde ab alio librario in 'non' mutaretur, ab alio in alienum locum transferretur. Originem vitii hinc repetere, quam ad

particulam 'ne', quae proxime antecessit, revocare malui, quia exitum quidem vocabulorum 'ne' saepe compendio adverbio 'non' simillimo exaratum, ipsam particulam 'ne' nunquam non plene scriptam inveni. Utcunque vero res habet, hoc non dubito, quin genuina Ciceronis verba fuerint: 'verendum mihi ne hoc potius omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat.'

Sed iam palaeographica haec missa faciamus, ut ad quaestionem grammaticam quandam perveniam, quam me suscepturum supra significavi. Profiteri quidem debeo hic eadem, quae Crassus de munere a se recepto apud Ciceronem de Orat. professus est: Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt. Scitum est enim causam conferre in tempus, cum adferre plura, si cupias, non queas. — Cum huius gymnasii usus ita ferat, ut pensa quae a discipulis 2^{dae} classis e Latino in Graecum vertantur, magnam partem e Caesaris commentariis deligantur, fieri non potuit, quin saepissime ad illud in his scholis animum adverterem, quanto opere in absoluta, quam dicunt, participiorum constructione Latina lingua differret a Graeca.

Ubicunque enim res postulat, ut absolutum participium perfecto tempore proferatur, activo fere verborum genere Graeci, Romani passivo utuntur. Eam vero dissimilitudinem vel deponentium Latinorum subsidio, si quae sunt eius, qua opus est, significationis, raro effugies. Suus potius quemque sensus docebit, hunc loquendi modum plerumque a Latino sermone abhorrere. Quae cum multis saepe locis animadvertissem ac mecum reputassem, nuper hac scribendi occasione oblata quaerere constitui, quibus finibus deponentium in ablativis absolutis usus secundum linguae Latinae naturam contineretur. Ne tamen rem actam agere viderer, ante omnia grammaticorum libros pervolutavi, quos eius rei mentionem facturos sperare liceret. Ac multorum quidem inveni praecepta de participiis futuris et activis et passivis in illo constructionis genere vitandis, de participiis perfectis vero deponentium nemo praecepit praeter Zumptium in grammatica (v. § 632 sub extr.) et Suepfelium (Prakt. Anleit. zum Lateinschr. II p. 361), quorum sententias infra examinabimus. Quamquam igitur facile intellexi, et propter terminos disputationis, extra quos egredi non liceret, et propter angustias temporis me rem non omni ex parte absoluturum, tamen si aliquid certe ad hoc genus loquendi illustrandum conferrem, operam non perdere mihi visus sum. Ita autem rem institui, ut omnibus Ciceronis de philosophia libris et Caesaris commentariis de bello Gallico perlectis deponentium verborum exempla, quae huc referri possent, colligerem, singula examinarem adque certam loquendi normam, si fieri posset, dirigerem. In ipso verborum indice varia usus genera ita discrevi, ut praepositis illis, quae ad participia *activae* significationis pertinerent quaeque inter legendum collegissem, etiam *passivi* generis exempla hinc illinc conquisita adicerem. Neque rei consentaneum videbatur solius Ciceronis Caesarisve exempla afferre, vetustiora vel posteriora omnia neglegere. Ut enim calculis subductis summam conficere soles, ita totius huius loci rationem singulis demum partibus consideratis poteris iudicare.

A. Participia perfecta deponentium et semideponentium in absoluta positione **activo** sensu, ut videntur, prolata.[4])

I. Cic. de legg. III, 7, 17 nam ista potestate *nata* gravitas optimatium cecidit. — Brut. c. 7, § 27 qui non nascentibus Athenis, sed iam *adultis* fuerunt. — **Caes.** de b. G. V, 8, 2 *orta* luce; V, 10, 2 maxuma *coorta* tempestate; V, 43, 1 maximo *coorto* vento; VII, 27, 1 magno *coorto* imbre; VII, 47, 4 *orto* clamore. — Liv. II, 51 § 7 postero die luce *orta;* VIII, 38, § 3 nec dissimulabant *orta* luce postero die facturos — Tacit. Annal. I, 29 *orto* die; I, 31 *orto* ab unetvicesimanis quintanisque initio; III, 39 dissensione *orta*; — Eutrop. I, 2 *orta* subito tempestate; — Tacit. hist. V, 8, 3 Macedonibus invalidis, Parthis nondum *adultis*; IV, 55, 4 *coalita* libertate dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint; — Sueton. Tib. 10 *adultis* iam Augusti liberis; Claud. 39 *adulto* filio. — Verg. Georg. III, 156 Sole recens *orto;* Aen. IV, 130 Iubare *exorto* (i. e. sole nato Serv.) — Iuven. XIV, 10 cum septimus annus Transierit puerum, nondum omni dente *renato*. — — **II. Cic.** ad Attic. II, 19 Cosconio *mortuo;* Tusc. III, 28, 70 praetore designato *mortuo* filio; Lael. § 1 Quo *mortuo;* de republ. I, c. 19, § 31 illis *mortuis*; II, c. 17, § 31 *Mortuo* rege Pompilio; c. 20, 35 *mortuo* Marcio; pro M. Fonteio c. XIX. 42 (XV, 32) studiis militaribus apud iuventutem *obsoletis;* Liv. XXXVII, 8, § 4 nondum *exoleta* stirpe gentis. **Cic.** Tusc. I, c. 43, § 104 vel extincto animo vel *elapso* nullum residere sensum. — Liv. XXXII, 38, 7 paucis principium inter primum tumultum *elapsis;* Sallust. hist. fr. IV, 20 Nicomede *mortuo*; Plin. h. n. XXXV, 10, 98 intellegiturque sentire mater et timere, ne *emortuo* lacte sanguinem lambat. — Tac. Ann. I, 16 *dilapsis* melioribus deterrimum quemque congregare; Ann. I, 3: mox *defuncto* Marcello generum sumpsit; I, 7 *defuncto* Augusto; II, 66 defuncto Pandusa (Paul. Dig. 6, 1, 43 nondum *functo* monumento = 'non per anco avendo servito di sepolcro' Forc.; alii 'facto, finito, destructo' scribunt); — Liv. IV, 52, § 4 *defuncta* civitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus, pestilentem annum inopia . . . excepit; — Eutrop. I, 10 Quo morbo *mortuo* iterum Horatium Pulvillum collegam sibi sumpsit. — — **III. Cic.** Tusc. V, 28, 80 (nec vita beata) virtutibus omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum *profectis* resistet extra fores; — **Caes.** b. civ. I, 30, 3 Caralitani, simul ad se Valerium mitti audierunt, nondum *profecto* (sc. eo) ex Italia sua sponte Cottam ex oppido eiciunt; —

---

[4]) In hunc indicem *omnia* rettuli activae significationis exempla, et quae inter legendum aciem oculorum non effugerunt, et quae undique locorum arripere potui. Sed consulto omisi quae aut ad aliud ablativorum genus spectare viderentur, ut Liv. I, 41, 6. 'tum demum palam factum est comploratione in regia *orta*', aut participia in adiectiva usu conversa praeberent, ut Cic. Phil. I, 13, 32. 'Proximo, altero, tertio, denique reliquis *consecutis* diebus'; Catull. 64, 208 (62, 208). '*Oblito* dimisit pectore cuncta' etc.

Cic. de fato c. XIX, § 45 quibusdam autem in rebus causis *antegressis* in nostra tamen esse potestate, ut illud aliter eveniat, cf. quae paulo ante dicta erant 'cum hae causae antegressae sint' et paulo post 'cum causae antecesserint'. — **Caes.** b. G. V, 10, 2 His aliquantum itineris *progressis;* — Lucan. Phars. X, 223 vere *ingresso;* — **Cic.** Tusc. V, 34, 97 comitibus non *consecutis;* — **Caes.** b. G. IV, 26, 4 suis omnibus *consecutis* (nostri) impetum fecerunt; VII, 53 extr. ne tum quidem *insecutis* hostibus; — Liv. XXXIII, 8, § 12 coactus nondum *adsecuta* parte suorum periculum summae rerum facere; — Horat. Sat. II, 8, 39. 40 Invertunt Allifanis vinaria tota Vibidius Balatroque, *secutis* omnibus. **IV.** Plin. h. n. VII, 24, 24 Memoria necessarium maxume vitae bonum cui praecipua fuerit, haud facile dictu est, tam multis eius gloriam *adeptis.* **V.** Plin. h. n. X, 23, 33 hanc (glottidem) initio *blandita* peregrinatione avide profectam paenitentia in volatu . . subit. **VI.** Ovid. Met. VIII, 565 Iamque duas lucis partes Hyperione *menso;* Sil. Ital. IV, 477. 478 Tum nubila Mavors Aetheraque, *emenso* terras iam Sole, capessit. **VII.** Valer. Max. VI, 4, 3 Dario enim uno et iam altero proelio eum *experto.* — **VIII.** Ammian. Marc. 31, 15 Verum introire non *auso*, qui missus est. **IX.** Horat. Od. III, 3, 17 Gratum *elocuta* consiliantibus Iunone divis.

B. Participia perfecta deponentium et semideponentium in absoluta positione **passivo** sensu prolata,[5])

a. primae coniugationis,

Auguror*** (cf. Non. ed. Gerl. etc. p. 318) Liv. I, 18 Sicut Romulus *augurato* urbe condenda regnum adeptus est; — **Auspicor Cic.** de divin. I, 2 Romulus . . *auspicato* urbem condidisse . . traditur; Vell. Paterc. II, 79 *Auspicatis* ominibus uxorem ducere. — Consolor*** (cf. Prisc. ed. Hertz I, 392, 9; coll. 379, 8; 384, 1; 392, 9; adde Nonium ed. Gerl. etc. p. 322) Justin. XXII, 6, 4 *consolatis* militibus. — Contemplor*** (cf. Non. l. l. p. 319, coll. Prisc. I, 392, 9) Ammian. Marc. XXXI, 15

[5]) Passivorum exemplorum indicem primo conficere nolui, cum non dubitarem participium quodque perfecti, cuius modo vis passiva certo constaret, etiam ad ablativos absolutos recte posse conferri. Postea tamen, cum ea, quae inter legendum de altero illo participiorum genere congesseram, grammaticorum et lexicorum opera tentarem atque examinarem, haud incommodum visum est, passivi usus exempla, praesertim ea quae simul ad activum genus pertinerent, ex Forcelliniano lexico depromere quaeque ipse hic illic inveneram adicere, ut comparandi utriusque usus copia fieret. *Singulis* asteriscis ea exempla notavi, quorum non modo participia sed etiam formae definitae passiva significatione inveniuntur; *binis* ea, quorum genus activum olim usurpatum fuisse testantur Prisc. inst. p. 373—404 ed. Hertz, alii; *ternis* illa, quorum activum genus certis scriptorum locis confirmari potest. Numeros denique, ut A, 1; A, 2 etc., adieci iis, quorum usum activum supra ad A iam commemoraveram.

portatis scriptis et recitatis, utque decebat *contemplatis*. — Feneror*** Plaut. Menaechm. IV, 2, 40 Ne illam ecastor *faenerato* mi abstulisti etc. — Furor Apuleii Metam. X, p. 683 ed. Lond. 1825 (p. 220 Oudend.) *furatis* clanculum partibus. — Hortor** (Prisc. l. l. p. 392, 21; coll. p. 379, 10 et exc. ex Charis. ed. Keil p. 562, 13) [Caes.] bell. Hisp. 1 'Ita paucis commodis hoste *hortato*', sed Nipperdei 'commoda' ex codd. pro vulgato 'commodis' edidit et ne praelata quidem altera lectione de sensu passivo huius loci constabit. — Meditor* (v. Forcellin. in v.) Sueton. Octav. c. 84 nisi *meditata* et composita oratione. — Miror*** (cf. Non. p. 327) Iuvenc. 3, 58 Ipse sed inprimis *mirata* virginis arte, Attonitus stupuit. — Muneror*** (cf. Non. p. 324) Apulei. Met. X, p. 698 (227 Oud.) At ille, liberto magnifice *munerato*, destinat me spectaculo publico. — Mutuor*** (cf. Non. p. 322) Plin. h. n. II, 9, 6 'Solis fulgore eam ut reliqua siderum regi, siquidem in totum *mutuata* ab eo luce fulgere', quamquam ablativus h. l. aliter explicari potest. — Operor*** (cf. Non. p. 358, col. 2 et Klotz. Hdwrtrb. d. lat. Spr. in v.) Lactant. VII, 27 susceptis *operatis*que virtutibus. — Osculor*** (cf. Non. p. 324, coll. Prisc. 378, 20. 21) Apul. Metam. II, p. 123 (24 Oud.) *osculato* tuo capite. — Percontor*** (cf. Non. p. 322, coll. Prisc. 396, 16) Apul. Met. I, p. 103 (18 Oud.) *percontato* pretio. — **Periclitor Cic.** Lael. c. 17, § 63 *periclitatis* moribus amicorum. — Populor*** Senec. Agam. Act. III, 503 Haec (navis) lacera et omni decore *populato* levis Fluitat. — **Depopulor*** Caes.** de b. G. I, 11, 4 *depopulatis* agris; Liv. IX, 36, § 13 late *depopulato* agro. — Precor** (Prisc. 396, 18, coll. Non. p. 327) Iuvenc. 3, 85 genitore *precato*. — Deprecor Apul. Met. XI, 804 (258 Oud.) *deprecato* summo numine. — Rimor*** (Non. 259, coll. Prisc. 396, 20.) Sidon. ep. VII, 2, med. Diligenter quae ad socerum pertinuerant, *rimatis* convasatisque. — Sciscitor*** (cf. Plaut. Merc. 2, 3, 52) Ammian. XXV, 8 med. omniumque sententiis occultius *sciscitatis*, coll. 28, 4 ephemeride scrupulose *sciscitata*. — Scrutor*** (cf. Plaut. Aulul. 4, 4, 30 'perscrutavi', coll. Prisc. p. 396, 15 et Non. p. 318) Aurel. Vict. Orig. g. R. 6 *scrutatis* omnibus eiusmodi latebris; Ammian. XV, 8 velut *scrutatis* veteribus libris, coll. XXI, 3 Capto notario . . . *scrutato*que, si quid portaret. — Testor** (Prisc. p. 392, 8, coll. 382, 1) Plin. h. n. VIII, 36, 54 *testato*, quoniam (cerebrum ursinum) potum in ursinam rabiem agat (i. e. cum testatum sit et vulgo certum), cf. 'testato' et 'intestato', quae apud iurisconsultos saepissime inveniuntur.

b. 2dae coniugationis,

Emereor* Cic.** de sen. XIV, 49 tamquam *emeritis* stipendiis libidinis. — Alius verbi huius coniugationis, quod est reor, participium 'ratus' in adiectivum usu transiit, ut apud Cic. de div. 2, 7, 19 '*rato* tempore'.

c. 3tiae coniugationis,

Adipiscor* (certe 'apiscitur' passive Plaut. Trin. II, 2, 88, coll. 'apiscor' apud Prisc. 380, 16. 17) Sall. Catil. VII, 3 *adepta* libertate, cf. A, 4.; Tacit. Annal. I, 7 tamquam *adepto* principatu; Grat. Falisc. Cyneg. 170 Excutiet (Hyrcana canis crimina) silva magnus pugnator adepta. — Aggredior*** (Plaut. Truc. 2, 1, 40, coll. Prisc. p. 383, 1) Iustin. VII, 6, 5 facillimis quibusque *aggressis*, quorum victoria militum trepidos animos firmaret. — Transgredior Liv. X, 27, § 1 *transgresso* Apennino. Verbi gradiendi composita *activae* significationis in absoluta positione collocata vid. A, 3. — Irascor*** (Non. p. 87, col. 1), cuius participium iam adiectivi natura indutum in absolutam positionem collatum vide Plaut. Poenul. II, 1, 4 Nam ego hodie infelix dis meis *iratissimis* Sex immolavi agnos; Terent. Phorm. 1, 2, 24 (v. 74) Meminí relinqui mé deo *irató* meo; Phaedr. 4, 19, 15 Dis est iratis natus, qui est similis tibi. — Nanciscor a verbo nativo 'nancio' ductum (Prisc. 513, 16), Hygin. fab. 8 Ea occasione *nacta* fugae se mandavit (coll. fab. 1 et 120). — Enitor Adiectivum *enixus* a participio verbi natum esse facile cognosces ex Liv. XLII, 3, § 1 aedem Fortunae . . . faciebat *enixo* studio, ne ullum Romae amplius aut magnificentius templum esset. — **Paciscor*** (Non. p. 322, col. 2, nisi rectius hic, ubi de participio perfecto agitur, activi 'pago' exemplum comparari videtur Priscian. p. 524, 1) **Cic.** p. Sest. 14 extr. *pacto* iam foedere provinciarum; Quintil. XI, 2, 11 cum pugili coronato carmen . . mercede *pacta* scripsisset; Justin. VIII, 5, 3 *pacta* salute; XX, 5, 6 *pacta* societate etc., ut frequens illud 'pacto' absolute positum Liv. XXVIII, 21, § 5 *pacto* inter se ut victorem res sequeretur, alia; item '*compacto*' **Cic.** ad Att. X, 12 ut etiam *compacto* prohibiti videamur et '*compecto*' **Cic.** p. Scauro c. 2, § 7 et Afran. apud Charis. II, 197, 5. 6. — Complector*** (Non. p. 321, coll. Prisc. 393, 8.) Propert. I, XI, (X), 5 'Cum te *complexa* morientem, Galle, puella Vidimus', ubi dubitari possit, utrum activam significationem (Klotz. l. l. in v.) an passivam (Forcell. in v.) praeferas. — Consequor** (Prisc. 396, 21, coll. 381, 1 et Gell. N. A. XVIII, 9, 8) Apud Prisc. p. 384, 6 ita: "Varro: Vestales incesti conpertae ansa petuntur incognita, *consecuta* negleguntur, 'consecuta' pro 'impetrata' passive ait". (cf. A, 3). — Exsequor Justin. VII, 3. 2 Qui brevi tempore *exsecuto* regis imperio legatis ad Amyntam . . missis obsides . . dari sibi postulabat. — Persequor Pallad. 3, 26 extr. 'In porcis etiam illud est commodum, quod immissi vineis necdum turgentibus, vel exacta vindemia, gramine persecuto, diligentiam fossoris imitantur.' Schellerus et Klotz. in v. interpretantur: 'wenn wieder Gras gewachsen ist'. Ita hoc exemplum supra literae A subiciendum fuit. At nescio an melius *passiva* significatio teneatur, quam Forc. in v. huic participio tribuit. Eo ipso enim quod porcus eruit radicitus gramen et quasi per-

secutus est, imitatur fossoris operam, cf. verba similia 'vitem persequi curvo Saturni dente' (Verg. Georg. II, 406) et 'terram rastris insectari' (ibid. I, 155). — Abutor** (certe de simplici verbo cf. Prisc. 396, 25) Prisc. 381, 10 "Q. Hortensius: *abusis* iam omnibus locis, 'abusis' καταχρησθέντων".

d. 4tae coniugationis,

Experior Liv. I, 17, § 3 libertatis dulcedine nondum *experta* (cf. A, 7). — **Comperior*** (quamquam enim activum et deponens differre tradit Diomedes p. 377, 16, nemo utramque formam eiusdem originis esse negabit.) **Caes.** de b. G. I, 40, 13 aliquo facinore *comperto*; Liv. 33, 5, 4 Nondum *comperto* quam in regionem venisset, cf. Sallustii fragm. apud Prisc. lib. XVIII, p. 225, 17 et Tac. Annal. II, 60, init. — Dilargior.*** Certe simplicis verbi activa forma invenitur Non. p. 320, coll. Prisc. 392, 21: 'horto' quoque pro 'hortor' et 'largio' pro 'largior' dicebant, quae sunt communia. unde Sallustius in I historiarum: 'igitur venditis proscriptorum bonis aut *dilargitis*'. cf. Gell. N. A XV, 14, 8. — Emetior (a verbo, quod est 'metior'* ductum) Apul. Met. VI, 378 (110 Oud.) gnaviter *emensis* celsioribus iugis; IX, 652 (208 Oud.) *emensis* protinus scalis; XI, 771 (247 Oud.) tot *emensis* periculis. — Permetior Apul. l. l. VIII, p. 527 (166 Oud.) Aliquanto denique viae *permenso* spatio, coll. X, 692 (223 Oud.). — Remetior Verg. Aen. II, 181 pelago *remenso*; III, 144 *remenso* mari (cf. A, 6). — Amolior (molior ** Prisc. p. 392, 12 coll. 385, 12) Apul. de deo Socr. p. 1025 (700 Oud.) istis omnibus exuviis *amolitis*. — Demolior*** (Diomed. ed. Keil p. 400, 18. 29 et 401) Ulpian. Dig. 7, 4, 10 *demolitis* aedibus. — Ordior (Nativam huius verbi vim esse passivam demonstrat interpretatio apud Nonium p. 20 col. 2 et Prisc. 379, 10 coll. 386, 8 'exorsae' = initae) Plin. h. n. VIII, 51, 77 (207) Pinguescunt (sues) LX diebus, sed magis tridui inedia saginatione *orsa*. — **Partior*** Liv. XXVII, 8, 17 classe quoque navium septuaginta partita; XXVIII, 19, 9 partito exercitu (coll. Kritz ad Sall. Cat. VII, § 3 et Haase ad Reisig. ann. 286); **Caes.** b. G. VI, 6, 1 *partitis* copiis; VI, 33, 1 *Partito* exercitu; I, 25, 7 '*bipartito*', similia. — Sortior*** (cf. Non. p. 320, col. 1 et Klotz l. l. ad v.) Propert. V (IV), 11, 19 'Aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna, In mea *sortita* vindicet (iudicet) ossa pila', quamquam 'sortita pila' ablat. instrumenti esse potest; Ammian. XVIII, 6 post med. docetque (miles) . . morum probitate spectata *sortita* coniuge, liberisque susceptis, speculatorem se missum ad nostra.

e. semideponentium etc.,

Audeo Tac. Annal. III, 67 *Ausis* ad Caesarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat (cf. A, 8). — Iuro Paul. Dig. 2, 8, 16 Qui *iurato* promisit iudicio sisti, non videtur peierasse, si ex concessa causa hoc deseruerit. — **Poto Cic.** Brut. c. 11, § 43 (Themistoclem) excepisse sanguinem (tauri) patera et eo *poto* mortuum concidisse (aiunt).

Quodsi cum indicibus verborum supra propositis grammaticorum praecepta comparamus, *Zumptii*, qui § 632 extr. deponentium participia perfecta **passivi** generis in absoluta positione fere non admitti dicit (verbi partiendi quattuor exempla de Caesare et Livio, verborum 'depopulandi' et 'adipiscendi' singula de Livio et Sallustio affert), *Suepfelii*, qui l. l. II p. 361, additam. 4 haec tradit: "Von den Deponentien wird das Part. Perfecti selten im Abl. absolut. gebraucht; man sagt also wohl 'haec locutus abiit', 'haec locutum omnes clamore et plausu prosequuntur', aber nicht 'rege haec *locuto*' omnes obmutuerunt" et praef. p. XIII 'Das Part. *Perf.* der Deponentien im Abl. absol. ungebräuchlich', cuiusque praecepto **activi** generis participia contineri nemo negabit: — facile neuter vera docere tibi videatur. Ac revera Zumptii praeceptum impugnarunt Kritz ad Sall. Cat. VII, 3 et Haase ad Reisig. annot. 286, ille his verbis: "(Zumptio) non assentimur statuenti, *non plane passivam esse talium participiorum vim*, eoque a probatis scriptoribus structuram ablatt. absolutorum evitari, neque emendate a Sallustio dici 'adepta libertate' etc." Confirmatur Kritzii sententia non tam multitudine exemplorum, quam sub B congessimus, quam optimorum scriptorum locis, Ciceronis, Caesaris, aliorum quos v. ad 'periclitor, depopulor, emereor, paciscor, partior, poto' etc. Tamen hoc concedas necesse est cum omnem passivam vim deponentium diligenter ad aetatis cuiusque usum esse dirigendam, tum in ablativis absolutis summa cautione opus esse, quippe qui, adverbiorum modo ad sententiam adiecti, raro permittant, ut longiore verborum serie ipsorum vim sive activam sive passivam accuratius definias. Hac vero in re, si merito haec dixisse arguitur, Zumptius manifesto erravit, quod 'non plane passivam esse talium participiorum vim' contendit. Immo pleraque deponentia ab activis esse nata, passivas igitur sive reflexivas formas per varia hominum saecula, alias alio tempore, pristinam vim exuisse cum asterisci supra ad B singulis verbis adscripti declarant, tum ipsa linguae Latinae historia confirmat. Audias, quaeso, Varronem apud Gell. II, 25 '*Sentior* nemo dicit et id per se nihil est, *assentior* tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus *assentio* in senatu dicebat et eum postea multi secuti, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt', coll. Quint. I, 5, 13; Diomed. I p. 381, 26 sqq. Atque accommodatissime Diomedes p. 400, v. 10 in hac ipsa re adhibuit versus Horatianos (de a. p. v. 60) 'ut folia in silvis pronos mutantur in annos, Prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas, et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.' Quam ob rem mea quidem **sententia contra**

Zumptii praeceptum ea quoque verba, quorum absoluta positio exemplis comprobari non possit, *passiva* vis ab optimis Romanorum scriptoribus in civitatem recepta sit, procul dubio ad ablativos absolutos transferre poterimus. Ut secundum passivum participii perfecti usum, quem Cic. pro Sest. IV § 10 admisit ('memoriam *perfuncti* periculi'), non dubitabo ablativos absolutos fingere ('periculis perfunctis'), quamquam absolutae positionis exemplum passivum in hoc verbo me quidem fugit. — Tantum vero abest, ut eandem loquendi libertatem etiam activo illi generi (v. indicem ad A) largiar, ut hunc usum certis iisque angustis finibus circumscribendum ducam. Neque desunt causae eius rei satis multae. 1.) *Primum* ipsa illa ambiguitas significationis sive activae sive passivae, quam in absoluta positione difficilius evitari supra iam diximus. Ablativi absoluti enim, quorum origo ab ablativis temporis, causae, modi, etc. ducta adverbiorum multorum origini est simillima, ut facile praedicati loco nomina substantiva et adiectiva admittunt,[6]) ita actionis vel auctorem vel obiectum quod dicunt, denique quo modo ipsi e totius enuntiati ratione apti sint, longa verborum serie indicare plerumque vetantur. 2.) Accedit quod ipso participii perfecti deponentium sono Romanus homo facillime ad *passivam* vim animo concipiendam cogebatur idque 3.) eo magis quia linguae consuetudo ita ferebat, ut verborum vere activorum solo *passivo* genere in ablativis absolutis praeteriti temporis uteretur. 4.) Postremo in nonnullis verbis deponentibus, qui participio perfecto activi sensus uti volebat, paene non poterat non proferre passivum. Vel invita enim saepe *passiva* vis elucebat. Ut in participio 'profectus (homines ab Aristotele vel Zenone profecti)' vix contendes, quia talia significatione verbi ad praesens deponentis generis 'proficiscor' trahantur, passivi sensus memoriam ipsa origine formae impressam iam prorsus evanuisse, nimirum quod activum verbum proficiendi vulgo in significationem paulo diversam deflexerit. Non magis credo quam negabis 'vehendi' verbum in his 'equo vectus', 'provecta aetate', quamquam ea et origine et forma vere passiva sunt, verbi deponentis activi generis factum esse simillimum. — Ac ne illa quidem verba deponentia hinc excludenda sunt, quae Prisc. l. l. p. 388. 389 aut ob casus cum iis conjunctos ut 'nascor, orior, patior' aut quia absolute dicta casibus non egeant, ut 'labor, morior, laetor, glorior etc.' aut ob vim passivam 'intrinsecus' insitam, ut 'obliviscor, misereor' ad passivum genus referenda esse censet. Sunt quidem etiam in his, quae ex verbo activo (cf. nascere Cato de re r. 151 extr., laetare Non. p. 91, miserete ibid. p. 322) aut passiva aut reflexiva significatione in deponentia conversa esse demonstrare liceat, sed in hoc loco, quem nunc quaerimus, de participiis perfectis deponentium in absoluta positione activo sensu prolatis, ni fallor, ipsa exemplorum copia, quam sub A collegimus, faciliorem expediendi viam nobis patefecit. Diligenter enim perlustranti indicem illum mirum

[6]) Graecorum genetivis absolutis eandem loquendi consuetudinem vulgo fuisse denegatam v. Krueger gramm. § 47, 4, ann. 6.

tibi videbitur, quod praeter paucos locos poetarum et posteriorum scriptorum ad IV — IX allatos in tanta exemplorum multitudine si non eadem ubique deponentia, at simillimae significationis verba repetuntur. In omnibus enim aut oriendi (crescendi), aut pereundi (decrescendi) aut movendi vis inest. Quod si fortuito factum esse credas (neque enim multos multorum scriptorum libros perlegi neque in iis quos perlustravi nullum exemplum me praeteriisse praedico) memineris quaeso eam esse trium illarum significationum naturam, ut medium quasi locum inter activum et passivum genus teneant. Quo fit ut facillime ab altero genere ad alterum transferantur. Iam ipsum verbum, quod est '*fieri*', quam incertum huc illuc trahitur. Antiqui homines 'fitur' et 'fiebantur' proloqui non verebantur. Tempora praeterita vulgo quidem a faciendo ducebantur, sed Livius in Odyssea conatus est 'fitum est' (Non. p. 323, col. 1). Infinitivum ab antiquiore forma 'fiere' ad passivum 'fieri' traductum esse recte grammatici docent, Zumpt § 217 coll. Prisc. p. 127, 1. *Pereundi* autem vis quam prope a passiva significatione absit, ex illo apparet quod vulgo pro passivo verbi perdendi usurpatur, id quod passiva '*eundi*' natura effici docet similis usus verbi 'veneundi'. Postremo quantum omnis *movendi* vis in passivum genus inclinet, cognosces ex eo activorum verborum usu, qui aequo jure in passivum sensum transferuntur, ut 'sol movet' sive 'movetur', multa alia, quae v. apud Gell. N. A XVIII, 12 s. extr.; Gerard. Ioan. Vossium de analogia III, c. 3. p. 8—16; Reisig l. l. p. 290. Neque casu factum esse puto, ut in Germanica lingua in praeterito tempore circumscribendo verbum 'esse' quod ad passivam vim vergit, vulgo adhibeatur ad earundem significationum oriendi, pereundi, movendi vocabula: v. Grimm gramm. Germ. IV, 162. 163. Quanta vero facilitate ipsa participia praeterita in eadem lingua in activum sensum mutentur, singulis verbis allatis hic demonstrare longum est. Satis igitur sit in extrema disputatione id quod ex usu optimorum linguae Latinae scriptorum effecisse nobis videmur, his verbis complecti: Participia perfecta deponentium, quae activi generis esse videantur, in absoluta positione *paucis verbis 'oriendi, pereundi, movendi' esse concedenda et in his ipsis illos fines non transgrediendos, quos auctorum locupletium usus constituerit.* In primis vero vites oportet consuetudinem participiis perfectis activi sensus in absoluta positione adiciendi obiecta, ut 'Dario altero proelio eum experto' (ad A, 7); 'Hyperione duas lucis partes emenso' (ad A, 6), qualia poetis et posteriorum aetatum scriptoribus relinquenda sunt neque inepte comparari possunt iis quae nostratium pauci saeculis XVII et XVIII conati sunt 'der sich selbst betrogene König, der seinen Rausch ausgeschlafene Soldat etc.' Grimm l. l. p. 71.

Index locorum *Ciceronianorum*, de quibus in altera parte disputavi: de Fin. II, c. 8, § 23 (v. p. 18 s. extr.); Tusc. V, c. 27, § 78 (v. p. 20 med.); pro Balbo VI, 14 (v. p. 22 s. extr.); Acad. II, c. 25, § 80 (v. p. 23. med.); de Legg. I, c. 19, § 50

(v. p. 23 extr.); pro Rosc. Amerino c. 5, § 11 (v. p. 24 sub extr.); de Fin. V, c. 9, § 26 (v. p. 26 med.); de Orat. II, 61, § 250 (v. p. 27 post med.); de Nat. deorum II, c. 58, § 146 (v. p. 28 med.); Orat. in Catil. I, c. 2, § 5 (v. p. 29 sub extr.). — Addo pauca corrigenda, quae in altera lectione animadverti p. 2, v. 1 scribe *Franciscum* pro Fridericum; p. 2, v. 10 et p. 3 (ab inf. marg.) v. 7 *distributivos* numeros pro cardinalibus; p. 3, v. 4 ab inf. m. Pagin*ae singulae* complect*un*tur-signat*ae sunt* pro Pagina quaeque complectitur-signata est; p. 12, v. 7. 8 in voce 'Hans' *longiorem* sibilantis literae formam scribe pro breviore; p. 13, v. 14 *fuerint* pro essent.

Schulnachrichten.

Um Ostern 1867 wurden zur Universität mit dem Zeugniss der Reife entlassen:

Ludwig Henry Oswalt, 18 Jahre alt,
Adolf Jakob Fester, 19 3/4 Jahre alt,
Ernst Justus Häberlin, 19 3/4 Jahre alt,
Freimund Ernst Conrad Achim von Arnim, 19 Jahre alt,
Eduard Hoffmann, 19 1/4 Jahre alt,
Johann Friedrich Sieger, 18 1/2 Jahre alt,
} zum Studium der Rechte;

Carl Hermann Eduard August Johann Maué, 19 Jahre alt,
Richard Paul Wülcker, 21 1/2 Jahre alt,
} zum Studium der Philologie;

Christian Rudolf Weil, 18 3/4 Jahre alt, zum Studium der Theologie und Philologie;

Adolf Neukirch, 18 3/4 Jahre alt, zum Studium der Rechte;

Carl Wilhelm Beil, 19 1/4 Jahre alt,
Johann Heinrich Georg Meisinger, 20 Jahre alt,
} zum Studium der Medicin.

Carl Borromaeus Theodor Matthias Maria von Cohausen, 19 3/4 Jahre alt, zum Studium der Rechte.

Noch vor Beginn des Sommersemesters entriss uns der Tod einen unsrer besten Schüler, den Secundaner *Otto Friedrich Braun*. Während der fünf Jahre seines Gymnasiastenlebens ist nicht nur nie eine Klage über ihn laut geworden, sondern ist ihm immer und in jeder Hinsicht das einstimmige Lob aller Lehrer und die Liebe aller Mitschüler zu Theil geworden, und hielt er sich, trotz mancher durch seine Kränklichkeit veranlassten Unterbrechung, stets auf dem obersten oder nächsthöchsten Platze. Er brachte aus der trefflichen Erziehung des Hauses den Sinn in die Schule mit, welchen

wir Allen wünschen möchten, der ebensosehr mit dem grössten Eifer alles Wissenswürdige erfasst und absichtslos, von innen heraus, nur um der Sache willen betreibt, als in kindlicher Ehrfurcht sich stets vor dem geahnten Umfang der ganzen Wissenschaft und den sie in grösserem Masse Besitzenden und Gereifteren demüthigt. Diesem Sinn blieb seine edle und feine Natur unwandelbar getreu, und so hätte er vermuthlich, wie er auf dem Gymnasium jedesmal einen Preis davontrug, auch im Wettkampfe des Lebens manchen schönen Preis errungen. Er starb in Offenbach am 20. April in den Armen seiner trauernden Eltern.

Die Lehrer des Gymnasiums erfreuten sich im Ganzen, Gott sei Dank, eines ungestörten Wohlbefindens, nur dass die Herren *Gands* und *Zinndorf* mehrmals leidend waren und die Kränklichkeit des Herrn Dr. *Steitz* leider öfter Unterbrechungen des Unterrichts veranlasste. Zur Ausfüllung dieser Lücken leistete der frühere Schüler des Gymnasiums, Herr Cand. theol. *Georg Hilliger*, bereitwillige und erwünschte Hülfe.

